innuit, & diffamatio manifestat, ad idem textus in cap. *Super eo, supra de eo, qui cognovit consang. uxor.* suæ, & cap. 2. *infra, de purgat. canon.* Quidam tamen, ut ubijcit Innocentius *n.4. vers. In præsenti autem casu*, non improbabiliter dicunt satis esse, ut testes etiam nullis personis expressis dicant, tumor, & infamia est per vicinam: reservatur enim alteri parti facultas probandi infamiam hanc esse tantum apud viles, aut malevolos, vel ab ipsis ortum habuisse: quo probato non procedit inquisitio, arg. c. *In cunctis, n.q.3.* & hic non cavetur, ut testis debeat hoc dicere, sed tantum ut superior non debeat ad inquisitionem procedere, nisi clamosa insinuatio per bonos, & graves ad eum pervenerit: & cum his dictis Innocentij concordant *his* Io. Andr. *nu.* 11. Ancharan. *n.33.* Abb. *nu.1. & 4.* Cardinal *in §. Hunc tamen. n. 9.* & communiter DD. ut attestatur Alex. *cons.100. super primo casu post num.4. vers. Sextus testis, lib. 1.* Aretin. in c. *Cum oporteat, post num.58. vers. Communiter tamen, supra eod.* ubi etiam testatur de magis communi, & practicata opinione Gandin. *in rubrica Quomodo, de malef. cognos. per inquisitionem, post num. 11.* & alij plures, quos novissimè cumulat Farinac. *de indut. & tortura, q.47. n. 227. & n.236.*

86 Sextò QVAERO. An fama in criminalibus aliquem gradum probationis constituat.

87 Solutio: Exploratijuris est solam famam, quæ est contra aliquem, quod maleficium commiserit, esse sufficiens inditium ad inquirendam contra eum, ut hic est tex apertus: idque fatentur omnes, ut inquit Iulius Clarus *in practica, §. final. q.6. in princip. & qu. 21. vers. Fama sola*, quia fama succedit loco accusatoris, ut dictum est supra in 8. notab. quandoque verò fama tribuit materiam indicendi purgationem canonicam, c. *presbyter si à plebe, 2. qu.7* & c. *Accedens, supra eodem.* cum similibus: quandoque tribuit materiam suspendendi à beneficio, & officio donec se purgaverit; concurrentibus tamen requisitis, de quibus per Mar. Socin. in c. *Nos inter, num.3. infra de purgat. canon.* quandoque coadiuvat probationes jam factas, seu alia adminicula, ut cap. Præterea, supra de testib.

88 gradum tamen probationis non facit, secundum Mar. Socin. *hic n.615.* quia in criminalibus probationes debent esse luce clariores, ut l. *Sciant cunctí*, C. *de probat. c. Sciant, 2. qu. 8.* & c. *Epiphanium, 5. q.6.* ubi probatur nec semiplenam facere probationem, nisi de crimin civiliter ageretur; & sentit glos. in c. *Veniens, ii primo, in ver. Illorum, de testib.* quam ait esse communiter approbatam Bero. *hic n.78.* & hanc esse communem opinionem attestatur etiam Decius in eodem cap. *Veniens, n.25.* & ita etiam se habere communem practicam affirmat Salic. in l. *Ex quidem num.133. C. de accus.* & Berttard. *cons 126. n.11. lib 7.* quos refert, & sequitur Iul. Clar. *in pract. §. final. qu.21. vers. Fama sola*, ibi, Fama enim in criminalibus non probat neque etiam semiplene; unde sine adminiculis non est

89 sufficiens inditium ad torturam, & ita tenent cõmuniter DD. ut ait Matsil. in l. *De minore, §. Plurũ nu.30. ff. de quæst. & cons. 3. n.4. in fin.* hanc etiam dicunt communem conclusionem Ial. *in repit. l. Admonendi, nu.207. ff. de jure jur.* Cravet, *cons.41. nu.6.* Blanch. ad l. *fin. num. 212. vers. Vnde Baldus, ff.* de quæst. Grammat. *cons.42. n.15.* dicens ita per assessores observari, Duen. alios referens, & communẽ dicens *in reg. 300. in 4. fallen. & in reg. 301. in princip.* & alij plurimi apud Farinac. *de indult, & tortur. q 47. num.4.* & quamvis in hoc articulo magna sit controversia inter Scribentes, & Io. Andr. ad Speculat. *in tit. de notor. crimin. §. Fama, in verb. Veniens, circ fin.* quem refert Matsil. in d. l. *De minore, §. Plurium, nu 30, & cons. 72, num.16.* attestetur contrarium servari de consuetudine, ut scilicet fama sola sit sufficiens ad torturam, prout etiam se vidisse aliquando per assessores observari refert Gandinus *de malef. in tit. de quæst. nu.39.* Tamen Julius Clarus *in d. q.21. vers. Fama sola. circa med.* dicit se fuisse semper sequutum communem opinionem, quam etiam audivit semper observari ab alijs justis judicibus, ut scilicet nunquam procedatur ad torturam ex sola fama, nisi cum ea concurrat aliquod aliud adminiculum; & subdit se credere eam tutiorem, & veriorem; & quamvis ad torquendum videatur sufficere minus quàm semiplena probatio, nihilominus cum fama sit inditium à delicto valde remotum, & multum fallax, ut quotidie experientia docet; putat Clarus judicem tutius facturum, si nullo alio adminiculo concurrente cum tormentis non subijciatur alijs autem quàm criminalibus an fama faciat plenam, vel semiplenam probationem, distingue plures casus, ut hic plenè per Mar. Socin *nu. 621. circa fin. vers. Circa tertium membrum.*

90 Septimò QVAERO, An statim lata sententia super crimine, prælatus intelligatur ipso jure privatus dignitate, vel beneficio, adeo ut beneficia hujusmodi possint alteri conferi.

91 Prosolutione Innocentius *hic n.10.* latius prosequitur articulum quos effectus producat sententia, & distinguit plures casus. Quandoque enim talis est pœna imposita ex delicto intentato,

92 quæ statim auferet libertatem: & tunc statim lata sententia super crimine non licebit condemnato testamentum condere, nec poterit ex testamento aliquid capere, l. *Qui ultro, ff. de pœnis, l. 1. §. à Præfecto, ff. de Legat. 3.* quod tamen fallit in his, quæ condemnato competerent ratione publici officii, ut prælato; nam gesta per eum tenent, donec in officio toleratur, c. *Nonne, 8. q.4.* quod si oppositũ diceremus, sequeretur absurdum, quia condemnatus depositi, vel mandati est infamis, ut l. *Furti, §. penult. & ult. ff. de his, qui notantur infamia:* numquid ergo dicemus propter hoc sententias ab eo latas ulterius non valere? 13. *q.7.* Absit: omnia enim tolerantur propter officium, quod administrat, l. *Barbarius, ff. de offi. Prator.* c. *Servandum, 24. dist.* & prædicta sunt vera, nisi esset lata sententia depositionis, vel esset spoliatus insignijs dignitatis: tunc enim sententia à tali lata non teneret, l. 2. *§. Igitur, ff. de his, qui notantur infam.* l. *Cum Prator, ff. de iudic.* non enim potest dici amodo toleratus, sed intr usus, facit c. *Veritatis, supra de dolo, & contum.* & c. *Tanta, infra de excessib. prælat.*

93 & ex hoc infert Innoc. *d. num.10. vers. Credimus tamen*, ut Episcopus diœcesanus possit alteri conferre beneficia, quæ sic depositus habet sub eo, c. *Multi, 2. qu.1.* Nec obstat c. *Super his, supra eodem*; quia ibi loquitur, cum probatur crimen per modum exceptionis, quo casu judex non potest super alio judicare, c. *Licet Heli, de Simon.* Sed hic loquitur cum probatur per viam accusationis, vel inquisitionis, quo casu per sententiam efficitur crimen notorium, c. *Vestra*, & c. *Tua, de cohabit. cler.*

94 *cler. & mulier.* ex quo sequitur, ut non solùm beneficiis, quæ possidet in Diœcesi Episcopi pronunciãtis, sed & in quacumque alia spoliari possit, c. *Postulasti, supra de foro compet.* Neque hoc contingit ex eo quod res cum uno acta, alijs prosit, sed quia per hoc efficitur res notaria: unde bene sequitur pœna ablationis beneficii, quia sententia non inducitur ad probandum, quod per eam dicatur privatus, sed inducitur ad probationem criminis, scilicet quod sit notarium; & ideo per talem sententiam proba 100 retur infamis, & à testimonio, vel ab ordinibus repelletur, c. *Testimonium, de testib.* & cum his dictis Innocentii concordant *hic* Io. Andr. *n.21.* Burt. *in fine*, Anchar. *n.39.* Card *in §. Hunc tamen, n.17.* & alii communiter.

Sed hic incidenter QVERITUR, An prælato

95 condemnato liceat Capitulo, sive Electoribus ad e-

96 lectionem alterius procedere. Punctus quæstionis videtur ad hoc restringi, an post sententiam condemnatoriam prælatus remaneat possessor dignitatis, & beneficii, vel privatus sit: si enim remaneat, quam visiniustè possideat, non videtur alius posse deligi propter illam possessionem, c. *Cum nostris, de conceff. praeben*, concludit Innoc. *eod. n.10. post medium, vers. Clerici autem*, quandoque iudex pronunciat tãtummodo super delicto, putà prælatum commisisse homicidium, quandoque pronunciat etiam super pœna, ut quia privat, vel perpetuo suspendit. Primo casu non licet alium eligere, nisi electoribus fuerit eligendi potestas data. Secundo autem casu licet Canonicis eligere quando pœna, super qua est pronunciatum, infamiam irrogat, velutisi prælatus suspendatur perpetuo propter furtum, vel aliud publicum crimen, de quo damnatus est: tunc enim

97 alius in locum eligi potest. Et idem si sola pœna sine sententia super crimine infligitur, ex qua irrogatur infamia: cuidentior enim est infamia, quæ ex pœna procedit: quam quæ ex sententia: secus verò si non suspendatur ex tali causa infamiam irrogante, ut c. *in loco 5. q. 4.* secundum Innoc. cum pro similiter concordant Io. Andr. *d. n.21. vers. Clerici autem*, & alij proximè citati. Quæ perpetuò commenda memoriæ, quia valde utilia sunt ad sciendum an quando prælatus per sententiam est privatus dignitate, vel est de tali crimine condemnatus, quod sufficit ad privationem, electores possint alium eligere; anue quando pœna privationis ipso iure à statuto, vel à constitutione imponitur statim sine alia sententia declaratoria, liceat ad alterius electionẽ procedere: solutio enim patet ex prædictis; & facit c. *Venerabilem, de elect. c. Ad Apostolice, in fin. de re iudic. lib.6.* cap. *Licet Episcopus, de præben eod. lib* & quod notatur per DD. in c. *Cum secundum leges, de hæret. lib.6.* & quod scripsi in c. *Ad abolendam, à nu.28. usque ad n. 44. infra eod. tit.* Quot autem sint genera pœnarum de iure canonico, & quam proportionem habeant cum pœnis de iure civili impositis, latissimè hic prosequitur Innocentius *à n.6.* cum Io. Andr. *n.18.* & cæteri omnes sub scribunt, & adde Host. *in summa, de pœnis, §. Quot sint species pœnarum, ut §§. seqq.*

98 Ultimò QUAERO in *§. Hunc tamẽ ordinem*, quot sint specialia in inquisitione, quæ formatur contra regulares.

Solutio: Ex hoc §. tria specialia colliguntur secũ-

99 dum Marian. Socin. *hic n. 52.* Primum speciale est, quia in inquisitione, quæ fit contra eos, ordo iuris non est servandus usque quaque, ut dicitur in litera, idest omnino, secundum Cardinal. in hoc *§. in princip.* seu ad unquam secundum Io. Andr. & omnes *in summ. textus.* Et hoc intelligas quoad substantia: lia iudicia: hæc enim in cãt. laicorum aliquatenus remittuntur, non autem quoad veritatis probationem, nam illa nequaquam omittenda est, ut Clem: *Sæpe. de verb signif.* unde Host. *hic n.24. circa finem*, & Io. Andr. *nu 31.* exponunt verbum, usque quaque, id-est ad unguem quoad subtilitates, licet non sit veritas omittenda: & adde Feder. de Senis *cons.105. Consuevertit visitatores*, & Lapum *allegat, 73.* incipien. *Prælatus regularis, n.5. vers. Item hujusmodi.* Secundũ speciale est, quia facilius possunt removeri regulares ab administratione, quã seculares prælati, unde leviores causæ, & leviores probationes videtur sufficere secundum Host. *nu 23. in fin. in ver. Facilius*, & Io. Andr. *n.31. in eod verb.* & hoc de notat idem ver. *Facilius*, positum hic in textu. Tertium speciale est, quia

101 contra regulares, non recipiuntur tot exceptiones, sicut contra seculares, nec in ipsis exceptionibus necesse est servare ordinem ad unguem, secundùm Host. Io. Andr. & Mar. Socin proximè citatos, &

102 hoc denotat ver. *Liberius*, positum *hic in fin.* & prædicta intellige de prælatis, qui per electionem canonicam instituuntur, non autem de prioribus & officialibus minoribus, qui tales ad libitum Abbatis sine ulla causa, & nullo iuris ordine servato à suis administrationibus removeri possunt, ut dixi supra *num.53.* & scripsi plenius in cap. *Cum ad monasterium, §. Tales, à n.23 usque ad n. 43. supra, de statu monach.* & in cap. *Per tuas, il primo n. 8. & n. 45. infra de Simonia.*

De accusat.

Cap. Sicut olim.

SVMMARIVM.

1 *Concilium provinciale celebrare tenentur Metropolitani singulis annis de jure communi. & n.10.*

2 *Testes synodales per singulas Diœceses deputari debent in quolibet provinciali Concilio.*
Quod sit eorum officium. & potestas ibid. & n. seqq. & n.6.

3 *Quibus qualitatibus præditi esse debeant.*
Et in quibus differant à testibus synodalibus deputandis in Synodo diœcesana, n.5.

4. *Arcana Regni alieni scrutari non conveniet.*

6 *Testes synodales in provinciali Concilio deputandi non requiritur ut sint iurati.*

7. *Si sint de loco, ubi inquirunt, propriis sumptibus vivere debent.*

8 *Si minus à quo sint procurandi.*

9 *Sumptus habere debent moderatos: sed non possunt aliquem coercere.*

10 *Synodum diœcesanam Episcopi tenentur cogere singulis annis, & in ea publicare statuta provincialis Concilij, & n.109.*

11 *Et legitimè impediti possunt illam celebrare per Procuratorem, vel Vicarium generalem.*

12 *Requiritur tamen speciale mandatum.*

13 *Concilia provincialia quibus ex causis olim à Sanctis Patribus instituta fuerint.*

14 *Ad Metropolitanum spectat provinciale Concilium indicere, convocare, & celebrare.*

Etiam

15. Etiã sine auctoritate Primatis, seu Patriarchæ.
16. Et Metropolitano impedito, ad Coepiscopum antiquiorem.
17. Et idem sede metropolitana vacante.
18. Et antiquior dicitur Episcopus, qui est antiquior inter comprovinciales, non autem exemptus, licet sit comprovincialibus antiquior.
19. Concilium provinciale quoties, & quando sit celebrandum, & n. seqq.
20. Quid ex Concilio Nicæno.
21 Quid ex Concilio Calcedonensi.
22 Et quid ex Concilio Lateranensi novissimo, & Tridentino.
23 Indulgetur Archiepiscopo Limano in Indiis ob nimiã Suffraganeorum distantiam, ut Conliliũ provinciale sexto quoque anno celebrare valeat.
24 In Concilio quolibet provinciali indicendus est dies futuri Concilij.
25 Formula literarum indictionis remissivè.
26 Concilium provinciale fieri debet in loco proportionato respectu eorum, qui convenire debent.
27 Et electio loci ad Archiepiscopum pertinet, qui concurrentibus necessarijs Ecclesiam metropolitanam relinquere non debet.
28 Concilio provinciali qui teneantur interesse.
29 Et quo ordine sedere debeant, & n seq.
30 In Episcopis attenditur tẽpus ordinationis, non dignitas Ecclesiarum, vel earum ordo, & præeminentia.
31 In Concilio provinciali qui votum habeant decisivum, vel consultivum, & n. 34.
32 Votum prius dandum ab ijs, qui inferioris ordinis sunt.
33 Metropolitano, & suffraganeis discrepantibus quanã sententia prævalere debeat, & nu. seq. & n. 104
35 In Concilio provinciali quæ sint tractanda, & statuenda, & quæ sit illius authoritas, & iurisdictio, n. seq. usque ad n. 97.
36. Decreta Concilii Tridentini recipienda, Et perlegenda, n 39. & 71.
37. Hæreses anathematizandæ.
38 Fidei professio facienda.
40 Excessus corrigendi, & cõtroversiæ cõponẽdæ, & n. 61.
41 Querelæ etiam contra metropolitanum recipiẽdæ, & terminandæ. & n. 46.
42 Si causæ expediri non poterunt, judicibus deputatis committendæ.
43 Contra Episcopos etiam ex officio inquirendum, & super quibus & n. 50. & 59.
44 De gravioribus causis Episcoparũ nõ cognoscẽdũ.
45 Sed summariæ informationes sumi poterunt ad Papam transmittendæ.
46 Minores causæ qualiter recipiendæ, & terminandæ etiam contra metropolitanum. & n. seq.
47 Episcopis tantum committendæ, nisi ex causa Concilium aliter judicaverit.
48 Negocia indefinita extra Synodum non committenda nisi in casibus in Iure, & in Concilio Tridentino expressis.
49 A deputatis à concilio appellandum ad Primatem Patriarcham, vel Papam.
51 Ab examinatoribus synodalibus officij ratio reponenda.
52 Causæ inferiorum clericorum minus proprie ad provinciale Concilium pertinent.
53 Causæ vertentes in prima instantia coram Suffraganeis quando in Concilio tractandæ.
54 Introductæ coram Ordinarijs in prima instantia non avocandæ.
55 Sed pẽdẽtes corã Archiepiscopo avocari poterũt.
56 Appellari potest ab ordinario ad Concilium provinciale omisso Archiepiscopo & ab ipso Archiepiscopo ad Concilium, sed non e converso.
57 Visitationem diœcesis, quam Episcopi impediti facere possunt per suos generales Vicarios, Concilium provinciale suspendere non potest.
58 Procedit in causis criminalibus contra Provisores, seu Vicarios generales etiam Archiepiscopi.
60 Pauperum querelas contra quoscumque judices & potentiores recipit.
61 Post causas, & controversias ad correctionem, & reformationem procedet.
62 Vt Seminaria in diœcesi vel provincia erigantur, & salubriter ordinentur, providebit.
63 Formã instructionis pro promovẽdis ad Cathedrales Ecclesias præscribet arbitrio Papæ approbandam.
64 Cognoscet de causis, ob quas Ecclesiæ Suffraganeorum à metropolitano visitari debent.
65 Præscribit formulam ad debitum in divinis officijs regimen.
66 Formam examinis per concursum observandã curabit, sciet que sibi à Pio V. ademptam facultatem eidem forma aliquid addendi, vel minuẽdi.
67 Expendet si quæ Cathedrales sint uniendæ, & reditibus augendæ, & confecta instrumenta ad Papam transmittet.
68 De abusibus, & quæstionibus circa imagines, & reliquias Sanctorum iudicabit, & qualiter.
69 In Capitulorũ generalium defectum circa regularium reformationes providebit. & n. 90.
70 Abusus circa indulgentias ad Papam defert.
72 Decretum de matrimonijs clandestinis in singulis Parochiis publicari præcipiet.
73 Iudices synodales designabit.
74 Item Iudices, qui de alienationibus etiã à Sede Apostolica confirmatis, judicent.
75 Majorem auctoritatẽ habet Synodus provincialis ex Cõcilio Tridentino, quã de jure cõmuni.
76 Contrarius regulariter statuere non potest, sed solum præter ius. & n. 78.
78 De rebus fidei, & majoribus causis non potest quicquam tractare, vel diffinire.
79 Suis decretis potest adjuvare jus commune, pœnas novas addendo, vel antiquas augendo.
80 Abstinere debet à novis decretis, quæ jure communi, & Pontificijs constitutionibus minus consonant, etiam in casibus à jure permissis.
81 Supplere debet ubi per antiquos Canones, vel ultimũ generale Cõciliũ nõ est sufficienter provisũ.
82 In quæstionibus controversis à diffinitionibus abstinebit, præsertim circa sacramenta, censuras & alios concientiæ casus. & n. 91.
83 Causam non summariam non potest summariam

Nec

efficere, nec instantiam facere breviorem.
84 Nec appellationes prohibere.
85 Nec ordinem judicij prætermittere.
86 De jurisdictione ecclesiastica, & sæculari consultius erit nihil statuere.
87 Exẽptos nõ ligat suis decretis, nisi in casib. in quibus Episcopis, vel Cõcilio potestas in eos tributa est
88 Cum capitulis exemptis, & Regularibus, quomodo se gerere debeat.
89 Quoad monasteria exempta Episcopi sunt executores eorum, quæ continentur in Concilio Tridentino, sess. 25. de regular.
90 Et eorũ negligẽtes supplebit synodus provincialis.
91 Explicabit quæ scitu sunt necessaria circa sacramenta, & clericorum functiones.
92 Adhortationes frequentes interseret in his, quæ sub jurisdictione ipsius non cadunt.
93 Cõcilij provincialis decreta quo stylo sint conscribenda.
94 A Metropolitano, & Episcopis subscribantur sub correctione Sedis Apostolicæ.
95 Ad quam in unum volumen redacta pro emendatione, & approbatione transmittantur.
96 His additis quæ synodus judicabit Sanctissimo proponenda profelici profectu provinciæ.
97 In Concilio provinciali quæ sit Metropolitani auctoritas, & n. seqq. usq. ad n. 105.
98 Dissolvere non potest Concilium sine consilio, & assensu Coepiscoporum, ibid.
Nec cuipiam silentium indicere, aut alia hic expressa facere sine eorum consilio, & assensu.
99 Potest tamen mandare, ne quis loquatur extra locum, aut synodum perturbet.
100 An, & quando possit cognoscere causas suffraganeorum, vel eis subjectorum.
101 Cõtra Episc. usurpãtes in Concil. vel extra illius jurisdictionẽ nõ potest procedere nisi extra Cõcil.
102 Non potest visitare suffraganeos nisi causa cognita, & probata in Concilio provinciali.
103 Nec sufficit, ut Conciliũ declaret eũ posse visitare eo quod ad sint querelæ contra Episcopos.
104 Metropolitanus, & Episcopi in Concilio provinciali sunt conjudices.
105 Metropolitani, & Episcopi negligentes cogere provincialem, vel diœcesanam synodum quæ pœna sint puniendi, & n. seqq.
106 suspendantur ab executione officij non ipso jure, sed per sententiam.
107 Nec aliquid novi induxerunt Concilium Lateranen. & Trident. & n. 109.
108 Incurrat verbum est latæ sententiæ nisi habeat relationem ad antiquas pœnas, quæ requirant sententiam hominis, & n. seq.
109 Synodũ diœcesanã Episcopi negligentes celebrare infra sex menses, & in ea publicare decreta provincialis Concilij incurrunt pœnam suspensionis duorum mensium.
110 Et qui verẽtur accedere mittant procuratores ad se excusandũ, nõ impediti cogantur. & fiat synodus cum ijs, qui possunt venire, & veniunt.
111 Ad Conciliũ provinciale Episcopi non accedentes quas pœnas incurrant.
112 Et quæ sint legitima impedimenta non accedendi, remissive.

1. SICUT OLIM. Metropolitani ad correctionem excessuum, & reformationem singulis annis facere debent provinciale Concilium, in quo statuere debent per singulas diœceses personas idoneas, quæ sollicitè investigent, & in sequenti concilio referant corrigenda; & Episcopi facere debent synodus Episcopales singulis annis, & publicare agitata in Concilio provinciali: & hæc negligentes ab executione officij suspenduntur. Hoc dicit in summa, secundum Abb. Mar. Socin. Io. de Anan. & Felin. Dividitur in tres partes. Prima providet de provinciali Concilio, & de agendis in illo. Secunda de testibus synodalibus, & ipsorum officio. Tertia de pœna hoc non servantiũ: & obiter interferit de Episcopalibus synodis: secunda ibi, *ut autem*; tertia ibi, *Quisquis*.

Nota primo ibi, *singulis annis*. Metropolitanos hoc jure inspecto teneri quotannis celebrare provinciale Concilium: hoc tamen, (ut inquit Hostien. *hic in princ.*) parui Metropolitani servant, quia aliqui numquam istud Concilium celebrant, alii vix semel in vita sua, & qui melius faciunt de biennio in biennium: allegat cap *Propter ecclesiasticas*, 18. *distinct.* Sed secundum Cardin. & Io de Anã. ille textus non dicit semel in biennio, sed bis in anno. Utcumque tamen sit hodie, & malè hujusmodi Concilia communiter non celebrantur, ut per Abb. *in 2. not.* & Felin. *in princ.* Unde dicit Ancharan. quia Prælati in hoc malã se gerunt, cum de jure teneantur; ideo malè tractabuntur, prout eum referunt Io. de Anan. & Felin. *hic in princ.* Dixi. *hoc jure inspecto*, quia hodie celebrari debent de triennium, ut dicam infra *in 3. quæst.*

2 Secundò nota ibi, *statuant*. In quolibet provinciali Concilio deputandos esse per singulas diœceses aliquot personas, quæ per totum annum, & hodie per totum triennium sollicitè investigent quæ correctione, vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & suffraganeos; in sequenti synodo provinciali, ut in littera. Atque ita sunt isti quasi testes synodales nullam jurisdictionem habentes, & vocantur Inquisitores, ut *hic* in glos. *ult.* seu Visitatores secundum Hostien. *num.* 4. & à Legistis appellantur Denunciatores, de quibus *hic* plura per Felin. *in primo & seqq.* Et pondera qualitates, quas habere debent. Requiritur enim ut sint idonei, & providi, ut procul videant, & de notorijs, & de manifestis investigent de plano interrogando seniores, & honestores. Item ut sint honesti, ne corrupti aliquem falsò infament, vel deferant; cap. *Nemo, infra de simonia*; & melius est, ut sint de eadem diœcesi, quàm de extranea, argum. cap. *Quia propter, de elect. ibi, tres de Collegio fide digni*: nam alieni regni arcana scrutari non convenit, l. 4. *post princip. C. de commer. & mercat.* Et quia præsumuntur citius percipere veritatem, argumen. cap. *Quosdam, supra de præsumpt.* c. *Quanto*, & cap. *Veniens, il secondo, ad finem de testib.* & ideò alijs sunt præferendi, cap. *Videtur, supra. Qui matrim. accus. poss.* Host. *hic num.* 5. Io. Andr. *eod. num.*

3 4

5 Similes Inquisitores, seu Denunciatores deputandi sunt ab Episcopo in diœcesana synodo, ut in cap. *Si Episcopus in synodo*, 35. *qu.* 6. Sed alij sunt hi, quàm illi, & tam primi, quàm secundi statui debent, secundum Hostien. & Io. Andr. *num.* 4.

in

in ver. Statuant. Hactamen differentia quod primi, de quibus loquitur hæc Decretalis, statui debent à Præsidentibus Concilio provinciali; secundi verò à singulis Episcopis in eorum synodis, secundum eos. Item primi non requiritur ut sint
6 jurati, cum de hoc nihil dicatur in littera, sed sufficit, ut sint providi, & honesti, & tales, quibus meritò sit credendum, licet si juramentum exigatur, non sit improbandum, secundum Hostien. *num. 6. in ver. Iurisdictione*, & Io. Andr. *num.* 11. At secundi præstant juramentum ad præscriptum d. c. *Episcopus in synodo, 35. q. 6.*

7 Demum Inquisitores, de quibus hic, si sunt de loco, ubi inquirunt, vivent de proprio sicut vocati in partem solicitudinis, cap. *Qui se, 3. qu. 6.*

8 Sed si mittantur Delegati, mittens procurabit illos, ut in Auth. *De mandat. Princip. §. Illud quoque*, & in Auth. *Iusur. Quod præstat. ab his, §. 1. col. 2.* secundum Vincent. *hic* relat. à Ioan. Andr. *num.* 10. Verum secundum Hostien. num. 6. Procurabuntur isti à Parochis, ad quos divertent: neque enim coguntur propriis stipendiis militare, cap. *Cum ex officii, supra de præscript.* cap. *Iam nunc. 28. quæst. 1.* Nec officium suum debet eis esse
9 damnosum, argum. *4. qu. 3. §. Venturis.* Sumptus tamen debeut habere moderatos, sed non possunt aliquem coercere cum jurisdictione cateant, sed debent referre Episcopo, ut ipsos coerceat, quia saltem ad hospitalitatem tenentur, ut leg. & not. in cap. 1. *supra de contraben empt.* secundum Hostien. *eodem nu. 6.* At verò Denunciatores eligendi in diœcesana synodo non videntur à quoquam esse procurandi, quia eliguntur septem, & eo amplius de quolibet parochia, ut in cap. *Episcopus.* Vnde applicatur ratio Vincentii, de qua supra *num.* 7. Quod vivere debeant de proprio ex quo assumuntur de loco, ubi inquirunt.

10 Tertiò nota ibi, *annuatim celebrandù.* Episcopos teneri singulis annis cogere diœcesanam synodum, & in ea publicare statuta provincialis
11 Concilii: quod si legitimis de causis essent impediti, possent synodum celebrare per Procuratorem, vel Vicarium Generalem, ut S. Congregatio declaravit, cum Concilium Tridentium *ca. 2. vers. Synodi quoque, sess.* 24. impersonaliter loquatur, & de jure firmat Hentric. Bothæus *de synodo Episcopi par. 2. qu. 1. in princip.* Requiritur tamen ad hoc speciale mandatum, ut ibi per eum *n. 2.*

Vltimò nota ex fine litteræ pœnam non celebrantium statis temporibus provincialem, vel diœcesanam synodum, de quo latius dicam in 10. quæstione.

Quoniam hic agitur principaliter de synodo provinciali, opportunè inferendam duxi quandam de ipsa synodo veluti tractationem præciputè ex decretis Tridentini Concilii, & S. Congregationis declarationibus excerptam, & per quæstiones exaratam, ut usui esse possit ad multorum utilitatem.

13 Primò igitur QVAERO, ex quibus causis Episcoporum Concilia à SS. Patribus olim instituta fuerint.

Solutio, Conveniebant olim in unum Episcopi, ut de incidentibus casibus fieret discrepatio, & salubris de Ecclesiastica observatione collatio, quatenus, & præterita corrigerentur, & regulam futura susciperent, Gregor. *lib. 12. cap. 31.* & *lib. 7. cap. 110.* In quibus conventibus præcipuè tractabatur de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, de controversijs componendis, de tollendis abusibus, de inducenda observatione ultimi Concilii Generalis, deque ecclesiastica disciplina sensim restituenda, ut patet hic in textu, & *dist. 18. per totam.* Hæc autem ferè præstabantur, canonicas regulas, maximè quæ in ultimo generali Cõcilio statuæ essent, relegendo; debitas pœnas transgressoribus infligendo; Justitiam expeditè singulis eam poscentibus ministrando; ea, quæ in postremo Concilio specialiter mandata fuissent exequendo; nonnulla etiam ad majorem, faciloremque observationem sacrorum Canonum per modum regulæ dirigendo, ac prout rerum, & personarum qualitates postulant erudiendo, comminando, & exhortando, ut *hic*, & in *d. dist.* 18. & de origine hujus institutionis adde Concilium Lateranen. novissimũ sub Leone X. *sess. 10. in Constitut.* quæ incipit, *Regimini circa finem, §. Maturè quoque considerantes, tom. 4. Conciliorum, par. 2. pag. 99. col. 1.* quæ est repetita in Bullar. *tom. 1. pag. 482. §. 12.*

14 Secundò QVAERO ad quem spectet provinciale Concilium indicere, convocare, & celebrare.

Solutio. Dic ad Metropolitanum hoc munus pertinere, ut hic, & in cap. *Si Episcopus cum duobus sequentibus 18. dist.* & in cap. *Quod sicut, §. Præterea, supra de elect.* etiam sine auctoritate Primatis, seu Patriarchæ, cap. *De Conciliis*, & ibi Præpos. *num. 2. eadem dist.* 18. Hentric. Botthæus
16 *de synodo Episcopi. p. par. q. 6. num.* 20. Et Metropolitano legitimè impedito id munus pertinet ad Coepiscopum antiquiorem, ut in Concilio Triden-
17 tino *sess. 24. cap. 2.* Idemque dicendum sede Metropolitana vacante, ut per Archid. & Gemin. in cap. *Placuit, num. 2.* Bellam. & Turrecr. in cap. *Propter ecclesiasticas, num. 8.* & Præpos. in cap. *De Conciliis, in 3. not. 18. dist.*

18 Sed dubitatum fuit quis esset Episcopus antiquior, nempe an antiquior comprovincialis, vel Episcopus exemptus, si ipse sit comprovincialibus antiquior. Dubium ingerebat Breve Sanctissimi ad Cardinalem Episcopum Burgen. qui synodum Toletanum, cui adhæret, elegit, licet exemptum quoad ea, quæ antiquitatem, & prælationem in ipsa provinciali synodo concernerent, pari cum reliquis ejus synodi Episcopis jure censeri, & si promotio sua in Episcopum aliorum Episcoporum provinciæ Toletanæ antiquior existat, illum synodum ipsa, Archiepiscopo impedito, cogere, eique præsidere, & alia quæ in ea parte ad Episcopum, aut illo absente, vel impedito, ad Coepiscopum antiquiorem juxta dicti Concilij decrata pertinent, facere, gerere, & exequi posse, & debere perinde ac si aliàs suffraganeorum ipsius Archiepiscopi antiquior esset, prout in hac parte existit. Sed hujusmodi Breve S. Congregatio censuit intelligendum quoad interessentiam Concilij provincialis tantùm, & receptionem decretorum ejus, non quoad reliqua, considerata mente Concilij in eo decreto, in quo dum statuitur, ut exempti teneantur eligere aliquem Metropolitanum, declaratur etiam quare id faciendum sit, ut scilicet in ejus synodo simul cum alijs interfint, & quæ ibi ordinata fuerint, observent, in reliquis omnibus eorum exemptiones, & privilegia expressim præservando. Vnde quemadmodum Concilium

præter interessentiam synodi, & observationem statutorum illius, ad quæ obligat exemptos eam synodum eligentes, in reliquis eorum privilegia suffraganeorum tacitè conservare videtur.

19 Tertiò QVAERO quoties, & quando provinciale Concilium sit celebrandum.

20 Solutio. Secundùm antiquam regulam celebrari debebat bis in anno per singulas provincias, cap. *Pervenit, 18. dist.* Semel quidem ante diem Quadragesimæ: secundum verò circa tempora autumni, ut in cap. *Habeatur, ead. dist.* & quamvis in cap. seq. dicatur semel esse convocandum post tertiam hebdoma Iam Paschæ, & secundum Idibus Octobris: tamen primus Canon cum sit Nicæni Concilij propter majorem authoritatem præjudicat secundo, ut notat glos. 1. Archidiac. & Præpos. in d. cap. *Habeatur.* Vel certè secundum eos isti Canones loquuntur secundũ diversas consuetudines. Unde congruè dici potest esse in optione Archiepiscopi synodum convocare ante Quadragesimam, vel inter Pascha, & Pentecosten,
21 ut ibi per Præpos. *num. 4.* Sed postea in sexta synodo universali antiqua Constitutio fuit correcta, ac propter fatigationem, & ut opportunè haberentur ad iter agendum, qui congregandi erant, à sanctis Patribus diffinitum fuit, ut omnibus modis hoc Concilium fieret semel in anno, ut in c. *Quoniam quidem, ead. dist.* & hoc statutum sextæ synodi innovatur hic à Concilio generali, ut in glos. prima, & præcipitur observari in cap. *Cum sit, infra de Iudæis.* Sed & secundum leges civiles Patriarchæ, & Metropolitani tenebantur Episcopos Comprovinciales semel, aut bis in anno ad se convocare, ut in Authen. *de Sanctiss. Episcopis, cap. 10. §. Vt autem omnis ecclesiasticus status, collat. 9.*
22 Verum quia neque hoc servabant Metropolitani, ut dixi supra in primo notab. Idcircò in Concilio Lateran. novissimo sub Leone X *in loco supracitato in fine primæ quæstionis* antiqua jura fuerunt correcta, & ordinatum fuit, ut de cætero provinciali Concilia fierent singulis triennijs. Sed & Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 2.* statuit, ut (Metropolitani intra annum ad minus à fine ipsius Concilij, & deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis, seu alio commodiori tempore pro more provinciæ non prætermittant synodum in provincia sua cogere.) Hæc ibi. Et pondera illam dictionem, *saltem*, quæ innuit Metropolitanum posse infra triennium etiam pluries synodum convocare, si rationabilis causa subsit, sicut olim etiam post sextam synodum celebrari poterat bis in anno, si necessitas cogebat, ut notat Præpos. in cap. *De Conciliis, num. 6. 18. dist.* Hentric. Bothæus *de synodo Episcopi in prima parte num. 54.* Ultra triennium, tamen protrahi non debet, ut in *d. c. 2.*

23 Cæterum cum Archiepiscopus de Lima trium Regum in Indijs conquereretur se non posse juxta decretum d. *cap. 2. sess.* 24. celebrare synodum provincialem ob nimiam suffraganeorum distantiam ad decies fere centena passuum millia. Et S. Congregatio Concilij censuisset terminum cogendi Concilium provinciale de licentia Sanctissimi posse prorogari ad alios tres annos, ut singulis sexennijs celebrari debeat: Sanctissimus annuit.

24 Porrò ex canone Concilij Toletani IV. statutũ est, ut quæ synodus deinceps futura esset, ejus constitutis dies denunciaretur, indicaretur que in synodo, quæ illam ordine sequentem proximè antecedere. Et hunc morem laudabilem servat Ecclesia Mediolanensis in indictione provincialis Concilij, ut *tom. 4. Concilior. par. 2. pag. 547. col. 2. litt. B.* & utinam servarent Archiepiscopi omnes, quia sic indictione adstricti celebrationẽ synodi ad bonum regimen Ecclesiarum tam utilem, & necessariam non prætermittentent. Formula autem litterarum indictionis Concilii habetur in fine actorum Ecclesiæ Mediolan. *eodem tom. 4. par. 2. pag. 564. col. 2.*

25

26 Quartò QVAERO ubi sit congregandum provinciale Concilium.

Solutio. In Congregationibus Conciliorum haberi debet ratio, ut hi, qui vocandi sunt, non fatigentur propter discrimina itinerum, ut c. *Quoniam quidem, 8. dist.* Debent ergo fieri hujusmodi Congregationes, & Conventus in loco non multum remoto, imo proportionato respectu eorum, qui debent convenire, ut ibi notat Præpositus nu. 1. & Hentric. Bothæus *de synodo Episcopi par. 1. qu. 10. nu. 56.*

27 Et cum dubitatum fuerit ad quem spectet electio loci pro synodo provinciali celebranda: Sac. Congregatio censuit spectare ad Archiepiscopum, qui tamen cessantibus justis impedimentis, Metropolitanam Ecclesiam, modò in ea adsint commoditates ad id necessariæ, relinquere non debet.

28 Quintò QVAERO quinam provinciali Concilio interesse teneantur.

Solutio. De Metropolitano, & Episcopis suffraganeis, seu comprovincialibus non est dubium, ut hic, & in cap *Quoniam quidem*, cap. *Si Episcopus*, cap. *Placuit*, & cap. *Si quis Episcoporum, 18. dist.* De alijs verò, & præcipuè de Capitulis Cathedralium Ecclesiarum sunt opiniones Doctorum in cap. *fin. supra de his quæ fiunt à Prælat.* & in cap. *Grave, de preben.* ut per Præpos. in c. *Propter ecclesiasticas, il primo, num, 9. eadem distinct.* Tu dicas, ut plenè scripsi in d. cap. *final.* & adde quod dicam in duobus quæstionibus proximè sequentibus.

29 Sextò QVAERO quo ordine sedere debeant Episcopi, & alij in provinciali Concilio.

30 Solutio. Episcopos secundum ordinationis suæ tempus sive ad consedendum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decrevit Gregorius, ut in cap. *final. 17. distinct.* conservato Metropolitani primatu, ut in c. *Placuit, 18. dist.* Unde cum fuerit quæsitum, An in Concilijs provincialibus quoad Episcoporum præcedentiam attendendum sit tempus ordinationis, vel dignitas ecclesiarum, vel earum ordo, & præeminentia: S. Congregatio Concilij censuit attendendum tempus ordinationis Episcoporum. De Capitulis verò Cathedralium Eccl. siarum, Abbatibus, Commendatarijs, Dignitatibus, & Capitulorum Deputatis dic, ut scripsi in c. *final. in ult. quæst. de his quæ fiunt à Prælat.*

De ordine autem ad celebrandum provinciale Concilium vide Pontificale Romanum sub tit. De ordine ad Concilium provinciale celebrandum: & novissimè Cerem. Episcoporum *lib. 1. cap. 22.*

31 Septimò QVAERO, qui votum habeant decisivum, vel consultivum in synodo provinciali.

Solutio. Non omnium, qui synodo interſunt, idem eſt ſuffragium: nam Metropolitanus, & Epiſcopi tantùm votum habent deciſivum. Abbates verò, Commendatarij, Capitulares, Capitulorumque Deputati vocem habent dumtaxat conſultivam, Innoc. & DD. communiter in c. *Grave, ſupra de præben.* Abb. in cap. *final. num. 2. de his, quæ fiunt à Prælat.* Præpoſ. in cap. *Propter eccleſiaſticas, il primo, num. 9. verſ. Vel aliter*, 18. *diſt.* Sed Epiſcoporum procuratores poſſunt ex ſententia Sac. Congregationis, ſi Concilio provinciali placuerit, etiam deciſivam habere. Laici verò, qui ex eadem S. Congregatione ad provinciale Concilium invitati, intereſſe poſſunt, in eo vocem conſultivam habent. Et poteſt unuſquiſque ex iis, qui ſynodo interſunt, ad eam referre de his, quæ
32 ibi ſunt pertractanda. Et votum prius dandum eſt ab iis, qui inferioris ordinis ſunt.

33 Octavò QVAERO. Diſcrepantibus ſententijs inter Metropolitanum, & Epiſcopos ſuffraganeos, quænam, ſententia prævalere debeat.

Solutio. Dubitavit olim Epiſcopus Ulixbonen. quando in Concilio provinciali Metropolitanus eſt unius ſententiæ, ſuffraganei autem omnes ſunt alterius, citra prævaleat, & num Sanctiſſimus ſit conſulendus. Quod dubium tranſmiſſum fuit à Cardinali Alciato per manus Cardinalium Sacræ Congregationis Concilij cum his allegationibus, videlicet conſiderari poterit canon Apoſtolorum, 35. relatus in cap. *Per ſingulas primò, & ſecundò*, & cap. *Archiepiſcopus, 9 qu. 3.* ubi dicitur (Epiſcopos provinciæ nihil poſſe agere abſque Metropolitani ſcientia, ſeu conſenſu: & ita DD. in d. cap. *Per ſingulas*: præſertim Archid. Bellam. Turrecr, Brixien, dicunt formalia verba Quod Epiſcopi provinciæ ſine Metropolitani conſenſu nihil poſſunt ſtatuere, neque agere, quod pertineat ad diſpoſitionem, & communia negocia provinciæ; nec Metropolitanus ſine omnium ſuorum Epiſcoporum comprovincialium conſenſu agere quid velit, quod ad provinciam pertineat; niſi Epiſcopi reſiſtant, ipſi autem in hoc obduret, ad Apoſtolicam Sedem referendum eſt.) Item 6. *qu.* 4. cap. *Si quis Epiſcopus in aliquibus*. dicitur (diſcrepantibus provinciæ Epiſcopis, inter quos ſit, & Metropolitanus, adeundum eſſe Primatem.) Nec obſtat, cap. *Nec Epiſcopi, de tempor. ordinat.* dum in *fin.* dicitur, quod Metropolitanus debet conſentire majori parti ſuorum ſuffraganeorum: nam dupliciter reſpondetur. Primò, quod etſi Archiepiſcopus id non faciat, tamen ſententia ſua valebit, ut in terminis dicunt ibi Innoc. Hoſtien. Io. Andr. Butr. & Abb. Secundò, quod ibi agitur de materia conſecrationis, in qua communis opinio eſt, quod quãdo Archiepiſcopus eſt unius ſententiæ, & reliqui omnes ſuffraganei ab ea diſſentiunt: tunc adeundus eſt Superior, nempe Primas, vel Papa; ita poſt Hugon. concludit Glof. Archid. Gemin. Cardin. Alexandrinus, Turrecr. in cap. 1. 65. *diſt. in verb. Contradicant.*

Die 11. Octobris 1576. S. Congregatio cenſuit amplius deliberandum ſuper hoc dubio, & videndum Abbatem in c. *final. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli.*

34 Die 10. Januarij 1577. Congregatio publica Mo. Col. Geſl. Lanc. Alciat. Senonen. M. Alt. S. Sixt. Caraf. Quatuor nempe Mor. Geſſ. Lancel. Caraf. cenſuerunt ſententiam ſuffraganeorum præferendam eſſe ſententiæ Metropolitani, quia illi habent votum deciſivum, & ſunt Conjudices: item per Hoſtien. in cap. 1. *de libell. oblat. ad fin.* ubi dicit in ſynodo Metropolitanum, & ſuffraganeos eſſe conjudices, & Metropolitanum debere cum conſilio, & aſſenſu ſuffraganeorum, ſeu majoris partis pronunciare. Item ex Iacobatio *de Concilio lib. 6. art. 2. verſ. Nono facit*: ubi inquit, quod prævalet ſententia provincialis Concilij ſententiæ Archiepiſcopi. Alij nempe Colum. Alciat. Senon. Mo. Alt. (nam S. Sixti quid ſentiret, non aperuit) dixerunt neutri ſententiæ adhærendum nec ſuffraganeorum, nec Metropolitani, ſed abſolutè in quacumque cauſa adeundum Papam, ex theorica gloſſæ in d. cap. 1. 65. diſt. & c. *final. 63. diſt.* Ita referendum Sanctiſſimo.

Sanctiſſimus die 4. Januarij audita relatione Congregationis inclinavit potius in opinionem illam, quod prævaleat ſententia ſuffraganeorum, & quia habent votum deciſivum, & quia DD. dicunt, quod debet Metropolitanus ſtatuere de conſilio, & aſſenſu eorum, ſeu majoris partis: nec putavit obſtare exemplum communis opinionis in conſecratione, quia in eanon videntur eſſe conjudices. Minus obſtare, quod verba ita concipiantur, *Nos Metropolitanus decernimus*: quia cum id debeat cum conſilio, & aſſenſu eorum facere; inde colligitur, quod tenetur ſequi eos, ſeu majorem partem eorum. Tamen Sanctitas ſua non decidit, ſed dixit quærendum priùs, in quare Metropolitanus nunc diſſentiat à ſuffraganeis. Ita declarandum poſtea.

35 Nonò QVAERO, quæ ſint tractanda, & ſtatuenda in ſynodo provinciali, & quæ ſit illius auctoritas, & juriſdictio.

36 Solutio. Exequendum eſt ante omnia, quod ſacrum Concilium Tridentinum ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium præcepit in *cap. 2. ſeſſ* 25. nempe ut in prima ſynodo provinciali omnes palam recipiant omnia, & ſingula, quæ in eodem Concilio Tridentino definita & ſtatuta ſunt: nec non veram obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondeant, & profiteantur:
37 Simulque hæreſes omnes in ſacris Canonibus, & generalibus Concilijs, & præſertim ab eodem Concilio Tridentino damnatas publicè deteſtentur, & anathematizent: ſi qua in provincia adhuc
38 factum non eſt, omnino quamprimum fiat, & in ſingulis habendis ſynodis iteretur, repetita ſaltem fidei profeſſione juxta formulam à Sede Apoſtolica præſcriptam.

39 Utile quoque admodum eſſet, & conveniret, ut in primo Patrum conventu perlegerentur Concilij Tridentini decreta, ſi non omnia, ſaltem ea, quæ ad fidem pertinent, prout Innoc. III. hic mandat heri de ſuo Concilio VI. generali, ut patet ibi: *maximè quæ ſtatuta ſunt in hoc generali Concilio relegentes*: & prout olim Epheſinum Concilium legi conſuerat in ſynodis provincialibus, teſte Iſidoro de celebratione Concilij, idque ſuccedebat loco illarum inſtitutionum, & collationum, quæ de præcipuis fidei Myſterijs in primis diebus habebantur.

40 Hoc primum peracto, ad corrigendos exceſſus, & controverſias componendas animum advertere oportebit, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra in *prima quæſt.* ut juſtitia viam præparante omnes unanimi conſenſu ad alia exequenda expeditius

41 tius procedant. Quapropter expoſtulantium querelæ, & accuſationes non modo contra inferioris ordinis clericos, ſed potiſſimum contra Epiſcopos, ipſumque metropolitanum æquis auribus excipientur, & prout juſtitia ſuaſerit, terminabuntur, c. *De Concilijs, 18. diſtinct.* Quod ſi pleniores
42 probationes, & exactiorem cognitionem poſtulent, quàm ut brevi illo tempore expediri poſſint: judicibus à Synodo provinciali deputatis cognoſcendæ, ac diſſiniendæ committentur, ad præſcriptum Concilij Tridentini *cap. 5. in fin. ſeſſ.* 24.
43 Nec ſolùm ad petitionem aliorum, ſed etiam ex officio Synodus provincialis inquiret contra Epiſcopos in univerſum, *ſeſſ. 25. cap.* 1. Quomodo ſe habeant erga ſuos conſanguineos, & familiares, & quomodo ſe gerant erga ſubditos: ſpecialiter autem cognoſcet an deliquerint circa reſidentiam; & ſi abſentiæ cauſas, licentiaſque à metropolitano, vel ſuffraganeo antiquiori obtentas prætenderint, de eiſdem cauſis, & licentijs judicabit, ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur, ut *ſeſſ. 23. cap.* 1. An decreto Concilij de viſitationibus, & procuratione viſitationis cauſa accipiendi fraudem fecerint; ut ſi id compertum fuerit, canonicis pœnis, aliiſque arbitrio Synodi abſque ulla ſpe veniæ mulctentur, *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. An concubinas, vel alias ſuſpectas mulieres domi, aut extra teneant, aut cum ijs ullam habeant conſuetudinem: ſi autem innotuerit aliquem ex Epiſcopis ab hujuſmodi crimine non abſtinere, a Synodo provinciali admonebitur, ut ſi admonitus ſe non emendaverit, ipſo facto ſuſpenſionem incurrat, & contra eum ad ulteriora
44 procedatur, juxta Concilij Tridentini decretum *ſeſſ. 25. cap.* 14.

De gravioribus tamen cauſis criminalibus Epiſcoporum, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, Synodus provincialis cognoſcere non poteſt:
45 poterit tamen de his contra aliquem ex Epiſcopis ſuſpectum, vel accuſatum capere ſummariam informationem, & formare proceſſum ad effectũ tranſmittendi ad Summum Pontificem Roma-
46 num. Minores autem eorumdem cauſæ, & ipſiuſmet Archiepiſcopi, quia alibi, quàm in Concilio provinciali cognoſci, & terminari non poſſunt, ſi delatæ fuerint, recipientur, ſed non ita paſſim, ut levioribus quibuſcumque querelis aures faciles
47 accommodentur, ut *ſeſſ. 24. cap.* 5. Has tamen non ſolum ipſum Concilium, etiam ſi non adſit numerus duodecim Epiſcoporum à jure requiſitus, ſed etiam ab ipſo deputati cognoſcere poterunt, qui regulariter ob reverentiam Pontificalis officij ex S. Congregationis ſententia nonniſi Epiſcopi erunt, ſi ex cauſa Concilium aliter non judicaverit. Et advertendum tam Concilium, quàm dictos deputatos non ad majorem, quàm ad charitativam correctionem procedere debere, ſed tantum pronunciare etiam aliqua informatione extrajudicialiter ſumpta, & deputati id præſtare poterunt etiam poſt terminatum, & finitum Concilium. Quæ omnia locum habent etiam in cauſis criminalibus contra ipſummet Archiepiſcopum, non item in civilibus.

48 Porrò judicibus, & perſonis particularibus negocia, quæ indefinita remanent tempore diſſolutionis, aut finis Concilij, ut illa ipſi determinent poſt finem impoſitum Concilio, committi non poterunt, niſi in cauſis in Concilio Tridentino, &

49 in jure expreſſis: & à judicibus prædictis, qui de proximo de dictis negocijs, ſeu cauſis cognoverint, appellari debet ad Primatem, Patriarcham, vel Papam.

50 Similiter cognoſcet contra negligentes Epiſcopos in ijs, quæ eorum muneris ſunt, explendis, & quæ ſpecialiter in poſtremo Concilio generali ipſis mandata ſunt, *ſeſſ. 23. cap* 3. cum ſeq. maximè circa ordinationes clericorum, Seminariorum inſtitutione, *eadem ſeſſ. cap.* 18. & Eccleſiarum curatarum proviſiones, quæ nonniſi per concurſum fieri poſſunt, *ſeſſ. 24. cap.* 18.

51 Ab examinatoribus præterea, qui in Synodo diœceſana eligi debent, ut de qualitatibus eorum, qui Parochialibus Eccleſijs præficiendi ſunt, renuncient muneris, officijque eorum ratio expoſci poterint, *ſeſſ. 24 d. c.* 18.

52 Cauſæ verò, & controverſiæ inter clericos inferiores, quia ab eorum Ordinarijs facilè diffiniti poſſunt, minus proprie ad provinciale Concilium pertinere noſcuntur.

53 Omnes verò cauſas vertentes in prima inſtantia coram Epiſcopis ſuffraganeis ex ſententia Sacræ Congregationis poterit Concilium cognoſcere; & non ſolum illas, quæ ſpecialiter ejus judicio à jure, & Concilio reſervatæ ſunt, ſed de omnibus tam civilibus, quàm criminalibus, quæ dubiæ non ſint, quæque brevi tempore poſſunt expediri, &
54 alioqui juxta canonicas ſanctiones in eo tractari, & deferri poſſunt. Si tamen in prima inſtantia coram locorum Ordinarijs illæ introductæ reperiantur, non poterunt avocari, niſi in caſibus à jure
55 permiſſis. Item nec cauſas pendentes coram Archiepiſcopo poterit ad ſe avocare.

56 Appellari etiam poterit ad ipſummet Concilium in cauſis pendentibus coram Epiſcopo, vel ejus Vicario, omiſſo Archiepiſcopo ad Concilium, ſicuti ad Papam: à Concilio verò ad Archiepiſcopum, vel ejus officialem appellari non poterit.

57 Viſitationem autem omnium Epiſcoporum ſuffraganeorum, quam Epiſcopi legitimè impediti per ſuos generales Vicarios faciunt, ſuſpendere donec Concilium diffinitum fuerit, minimè poteſt.

58 Contra Proviſores, ſeu Vicarios generales etiam ipſiuſmet Archiepiſcopi in cauſis criminalibus procedet.

Generaliter autem erit procedendum, ut quæ
59 de vita, honeſtate, cultu, eorum officijs, & functionibus à ſacris canonibus maximè in poſtremo generali Concilio decreta ſunt, obſerventur, contra eos, qui talium decretorum contemptores, tranſgreſſoreſque delati, repertique fuerint, ſeverè ad relinquendum exemplum animadvertendo, *ſeſſ. 23. cap.* 1.

60 Pauperum item ſuper querelas contra quoſcumque judices, & potentiores tam eccleſiaſticos, quàm laicos in Synodis provincialibus admiſſas fuiſſe veterum Concilijorum teſtimonio, & ratione comprobatur; maximè enim pertinet ad Epiſcoporum curam pauperum defenſionem adverſus potentes ſuſcipere, ut oppreſſores prius ſacerdotali admonitione redarguant, & ſi contemſerint emendari, eorum inſolentia Regis auribus intimetur. Quare cauſam hanc vexationis pauperum Synodus provincialis negligere non debebit, ex Concilio Carthaginenſe V. *cap.* 9. & Toletano IV. *cap.* 13.

61 Ubi verò privatorum querelis, & debitæ inquiſi-

quisitioni satisfactum fuerit, & delatis controversijs compositis, vel commissis: proferent Episcopi ea, quæ correctione, vel reformatione digna compererint per testes synodales in eorum diœcesibus ut super his, & alijs ab ipsis proponendis, prout utilitati, vel honestati congruerit, Synodus provincialis provida deliberatione procedat, & statuat observanda.

62 Nihil autem Synodo provinciali erit antiquius, quàm ut ea, quæ specialiter Patres Concilij Tridentini fidei, & diligentiæ illi crediderunt, sedulò exequatur: proinde in eam curam incumbet, ut Seminaria in qualibet diœcesi instituantur, & conserventur, *sess. 23. cap. 18. ad finem.* Quod si ob paupertatem aliquarum Ecclesiarum ejusmodi collegia intelliget erigi non posse, curabit ex fructibus duarum, aut plurium talium Ecclesiarum in metropolitana, aut in alia provincia commodiori unum, aut plura collegia erigenda. Et præterea si in his, quæ de Seminario in Concilio Tridentino ordinata sunt, difficultates, aut impedimenta contigerint: Synodus pro regionis more, pro Ecclesiarum, & beneficiorum qualitate etiam quæ ad felicem Seminarij profectum necessaria, & opportuna videbuntur, decernet, & providebit.

63 Præscribet propriam examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ formulam de promovendis ad Ecclesias Cathedrales Sanctiss. Romani Pontificis arbitrio approbandam, *sess. 24. cap. 1.*

64 Cognoscet, & probabit causas, ob quas Cathedrales Ecclesiæ, & diœceses suffraganeorum à metropolitano visitari debeant, *eadem sess. cap 3.*

65 De his, quæ ad debitum in divinis officij regimen spectant, deque congrua in his canendi, seu modulandi ratione, de certa legi in Choro conveniendi, & permanendi, simulque de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si qua hujusmodi pro cujusque provinciæ utilitate, & moribus certam cuique formulam præscribet, *sess. 24. cap 12. in fin.*

66 Formam à Concilio Tridentino in provisionibus Ecclesiarum parochialium præscriptum, & Pij V. Constitutione firmius sanctam, observandam promulgabit; sciens facultatem sibi à Concilio Tridentino tributam, *sess. 23. cap. 18.* circa prædictam examinationis formam, addendi scilicet, aut remittendi quæ censuisset, cad. Pij V. Constitutione ademptam fuisse.

67 Examinabit, vocatis his, quorum interest, & diligenter expendet, si quas Ecclesias Catedrales propter earum angustiam, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat, confecta de præmissis instrumenta ad Summum Romanum Pontificem remittet, *sess. 24. c. 13.*

68 De imaginibus, & reliquijs Sanctorum si quis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel aliquis de ipsis gravior quæstio incidat, Synodus provincialis judicabit, ita tamen ut nihil inconsulto Romano Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur, *sess. 25. de Invocat. Sanctor. in fin.*

69 In exequendis decretis reformationis regularium supplebit, & coercebit, & in defectum Capitulorum generalium eadem Synodus per deputationem aliquorum ejusdem Ordinis providebit, *sess. 25. de regular. cap. ult.*

70 Abusus indulgentiarum, quos Episcopi in suis Ecclesijs collegerint, in Synodo provinciali referentur, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti statim ad Summum Pontificem deferantur, cujus auctoritate quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur, *sess. 25. in decreto de indulgent.*

71 Publicanda quoque erunt in Synodo provinciali specialiter quæ in Concilio Tridentino de residentia sub Paulo III. & Pio IV. statuta sunt, & si quæ alia ejusdem Concilij decreta in primis necessaria, atque utilia censebuntur, *sess. 6. cap. 1. & 2. & sess 23. cap. 1.*

72 Cùm Decretum Concilij Tridentini de Clandestinis matrimonijs, tam in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Ecclesia parochiali factæ numerandos, nec hujusmodi publicationi requisitæ à Concilio Tridentino æquivaleat publicatio, quæ fit in Synodo provinciali, ut Sacra Congregatio declaravit: & præcipiendum erit omnibus Episcopis, & alijs, ad quos talis executio spectare potest, ut dictum decretum de clandestinis matrimonijs, ita ut editum est, nihil addendo, dettahendo, aut immutando, in singulis parochijs quàm primum publicetur, *sess. 24. cap, 1. de refor. matrim.*

73 Designabuntur in Synodo judices, quibus aliquoties ad id aptis causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committi possint, *sess. 25. cap. 10.*

74 Deputabunt item judices, qui de locationibus rerum ecclesiasticarum etiam auctoritate Apostolica confirmatis judicare valeant, juxta Tridentini Concilij decretum, ut quas à triginta annis citra ad damnum Ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones contractas fuisse judicaverint, irritas declarent, de quibus *sess 25. cap. 11.*

75 Atque hæc ferè sunt, quæ Synodus provincialis ex Concilio Tridentino præstare debet, super quibus amplior est illius potestas, quàm jure communi eidem competat, cap. *Episcoporum 18. dist.* cum in præmissis non propria, sed Concilij universalis auctoritate utetur. 76 In cæteris enim causis, & negocijs meminisse oportebit Episcoporum Concilia non habere vim constituendi, sed auctoritatem imponendi, & inducendi quod aliàs statutum, & generaliter, seu specialiter observari præceptum:

77 multoque minus in hujusmodi Concilijs de rebus fidei, & majoribus causis tractari, aut quicquam

78 diffiniri potest, cap. *Majores, de baptism.* Non tamen horum potestas adeo restringitur, quin multa statuere possint circa ea, quæ totam provinciam concernunt præter jus commune, & quandoque etiam contra illud ex causa urgenti verisimiliter à Canone non prævisa, secundum ea, quæ fusè adnotavi in c. *Dilectus, supra de tempor. ordinat.* & in ca.

79 *Quod super his, de major. & obedient.* Suilque decretis jus commune adjuvare addendo novas pœnas, vel antiquas augendo.

80 Cæterum ad evitandam omnem ambitionis, & præsumptionis suspicionem abstinendum erit à promulgandis novis decretis, quæ juri communi, & Pontificijs constitutionibus minus consonant, etiam in casibus aliàs permissis. DD. in d. ca. *Quod super his, de majorit. & obedien.* & ubi per antiquos

81 Canones, vel ultimum generale Concilium, aut Summorum Pontificum Constitutiones provisum

nisum non fuerit, vel minus sufficienter, supplebit Synodus provincialis suis Constitutionibus, ut ecclesiastica disciplina restituatur, prout melius, & facilius videbitur.

82 In rebus dubijs, & de jure controversis non facilè diffinitiones fiunt, præsertim ubi grave aliquod præjudicium parari potest, veluti in materia Sacramentorum enodando, aut explicandis casibus usuratum, & aliorum vitiorum, quibus timoratæ conscientiæ irretiri possunt.

83 Si circa judicia, illorumque expeditiones fuerit decernendum, meminisse oportebit non posse Episcopos, nec Synodum provinciale causam, quæ sui natura, aut ex juris dispositione summaria non sit, summariam efficere, neque breviorem reddere instantiam, aut ea, [quæ de jure communi in causis summarijs servanda sunt, præcidere,

84 minusque appellationes in casibus, in quibus aliàs permittuntur, prohibere: nec prætermittere mo-

85 dum, & ordinem à jure, & Concilio Tridentino præcipuè in puniendis, corrigendisque excessibus præscriptum.

86 In materia jurisdictionis ecclesiasticæ, & sæcularis consultiùs erit nihil statuere, quàm ut appareat ex jurnbus Ecclesiæ aliquid esse imminutum, vel usurpatum: videtur etiam abstinendum à mentione legum sæcularium, præsertim si affines sint illis, quæ à Sede Apostolica improbatæ fuerunt,

87 Noverint etiam exemptos decretis Concilij provincialis non obligari, nisi in casibus, in quibus à jure communi, Concilio Tridentino, & Summorum Pontificum Constitutionibus specialiter Episcopis, aut Concilio provinciali in ipsos potestas tributa est, ut S. Congregatio censuit.

88 Quid observandum sit cum Capitulis exemptis. & Episcoporum jurisdictioni non subjectis apertè statuitur in Concilio Tridentino *sess 6. cap. 4. & sess. 25. cap. 6.* quod si illius executio quoad hoc habitura sit impedimenta, vel difficultates, quæ superari non possint saris erit nihil decernere, quàm aliquid statuere, quod ipsius Concilij decretis non consentiat.

Cum regularibus quomodo Synodus provincialis procedere possit, aut debeat, edisceret poterit ex Concilio Tridentino *sess. 25 de regular.* & ex posterioribus Rom. Pontif. ea dere Constitutionibus, præsertim Gregorij XV. quæ incipit, *Inscrutabili Dei providentia*; quorum auctoritate nisi specialiter nitantur decreta Synodalia, utique arctabunt illa tantùm Monasteria; quæ ipsis Or-

89 dinarijs sunt subjecta. In alijs autem Monasterijs Episcopi scire debent se à Concilio Tridentino datos esse executores eorum, quæ in decretis

90 *d. sess. 25. de regular.* continentur: In quibus provinciale Concilium Episcoporum negligentiam supplere, & coercere debet, eo tamen modo, & forma, prout in ipso Concilio Tridentino dispositum est, *eadem sess. cap. ult.*

Et quia non omnia constitutionibus præcisè, & sub pœnis comprehendi possunt, aut expedit; nec omnes, quibus usui esse possunt decreta Synodi, subijciuntur illius jurisdictioni; advertendum erit ne decreta ipsa videantur minus consideratè concepta, seu scripta, aut executione frustentur.

91 Quoniam verò prælati minus est, docere, ac doceri, cap. *Non oportet, 18 dist.* Suscipiet Synodus hanc quoque partem erudiendi tam Episcopos, qui ad Synodum accedunt, ut doceant, & doceãtur, quàm inferiores, maximè sacerdotes, quorum ignorantia valde periculosa est in his, quæ animarum curam, & salutem concernunt. De Sacramentis igitur, eorumque administratione explicabit quæ scitu sunt necessaria, eaque accuratiùs edisci mandabit. De singulis clericorum functionibus diligenter edocebit; & quæ in materia morum solent frequenter scrupulum injicere timoratis conscientijs, elucidabit adhærendo probatis auctoritatibus, & receptis in Ecclesia Catholica sententijs.

92 Interseret etiam Synodus provincialis frequentes exhortationes de rebus, quæ opportunè occurrent, & sub jurisdictione, & coercitione illius non cadunt, nec pœnis sanciri possunt: & cùm sermo dirigatur ad personas, quæ non ligantur provincialibus decretis, sanè in quibusvis generibus causarum, & negociorum si exhortationes hujusmodi fuerint plenæ paternæ charitatis, non minus efficaces esse poterunt ad persuadendum, quàm si eam legibus præciperentur.

93 Porrò ipsa Synodi decreta puro, & ecclesiastico stylo conscribantur, ut Christianam pietatem non rudem simplicitatem potiùsquàm exquisitam latinitatem redoleant. Usitata igitur à Sanctis Patribus, & Sum. Pontif. verba in rebus præcipuè ecclesiasticis usurpentur, nec nova vocabula in Ecclesia ex prophanis Ethnicorum scriptis invehantur, quæ rebus obscuritatem offendere, & Catholicis stomachum movere possint.

94 Demum cùm provinciale Concilium absolvendum erit, quæcumque in eo constituta fuerint, coram Patribus Concilij relegentur; quibus sub judicio, & correctione S. Sedis Apostolicæ cum metropolitano reliqui comprovinciales Episcopi subscribent.

95 Illa in unum volumen redacta antequam publicentur ad S. D. N. cum literis metropolitani, vel totius Synodi transmittentur, ut à Sede Apostolica revideantur, corrigantur, atque probentur, itaque correcta executioni demandentur. His

96 etiam subijci poterunt ea, quæ ad promovendum provinciæ profectum in ecclesiastica disciplina, vel ad occurrendum impedimentis, atque periculis Synodus provincialis S.D.N. proponenda judicaverit.

97 Decimò QVAERO, quæ sit metropolitani auctoritas in Synodo provinciali. Solutio patebit ex subjectis declarationibus Sacræ Congregationis Concilij.

98 Cùm quæreretur, An Archiepiscopus solus justis de causis posset absque alijs Episcopis dissolvere Concilium. S. Congregatio censuit non posse, nisi de consilio, & assensu Coepiscoporum. Archiepiscopus ex S. Congregatione licèt sit caput Concilij, & Præsidens, nonnisi consilio, & assensu Coepiscoporum poterit culpiam silentium indicere, vel jubere aliquod scriptum, aut libellum legi, vel tunc non legi, seu mandare aliquem tunc exire à Concilio, vel intrare, etiamsi accidat, ut aliquis ex Episcopis impediat, aut perturbet, aut cum Archiepiscopo minus urbanè legerat: cùm tamen ipsius sit Concilium dirigere, poterit ex se

99 mandare ne quis loquatur extra locum, neve perturbetur Concilium.

100 An metropolitanus possit cognoscere de causis civilibus Episcoporum, ne non eorum, qui dictis Episcopis sunt subditi: S. Congregatio censuit posse,

se, etiam quando Episcopus agit contra Episco- 109
pum; cæteroqui non posse nisi in casibus in jure expressis.

An Archiepiscopus possit procedere per censu-
101 ras, & alias pœnas contra Episcopos illos, qui usurpant Archiepiscopi jurisdictionem in Concilio, sive extra illud, volentes cognoscere de aliquibus causis ad tribunal, & curiam ipsius Archiepiscopi pertinentibus: S. Congregatio censuit non posse, nisi extra Concilium provinciale juxta canonicas sanctiones.

Et cum ex Concilio Tridentino caveatur, ut
102 Archiepiscopus possit visitare suffraganeos causa cognita, & probata in Concilio provinciali: An
103 necessarium erit facere informationem de causis urgentibus, ut debeant visitari, & primitus Episcopum vocari, & audiri in Concilio provinciali, ut videatur quid respondeat antequm Concilium provinciale ordinet, & declaret an sit locus, ut Archiepiscopus visitet: S. Congregatio censuit Episcopum audiendum, nec sufficere, ut Concilium provinciale declaret, quod dictus Archiepiscopus potest visitare suffraganeos, eo quod adsit querela, & libellus, seu memoriale contra dictos Episcopos, & personas suarum diœcesum, absque eo quod dictus Episcopus, & reliquæ personæ sint præsentes, nisi causæ visitationis decernendæ cognoscantur, & probentur.

Verum cùm hæc omnia in Concilio provinciali
104 ex suffraganeorum, & metropolitani sententia peragi debeant, si metropolitanus est unius sententiæ, suffraganei autem alterius: S. D. N. dixit sententiam prævalere suffraganeorum, & hoc quia habent votum decisivum, & sunt conjudices; & quia Doctores dicunt, quod debet metropolitanus statuere de consilio, & assensu eorum, seu majoris partis, ut plenius dictum est supra in octava quæstione.

Undecimò QVAERO qua pœna sint puniendi
105 metropolitani, & Episcopi negligentes statutis temporibus celebrare provinciale, vel diœcesanam Synodum.

Solutio, textus in c. *Quoniam quidem*, 18. *dist.*
106 simpliciter dicit, canonicis pœnis subjaceat: nec aperit quænam sint hujusmodi pœnæ. Sed in hoc cap. expressè statuitur, ut quisquis neglexerit hæc adimplere, à sui executione officij suspendatur. Non est ergo pœna latæ sententiæ, sed ferendæ se-
107 cundum Host. *hic in fin.* & Io. Andr. *n. 7. in ver. Suspendantur.* Et ita intelligo decretum Lateranensi Concilij sub Leone X. *in Constitutione supracitata in fine primæ quæst.* ibi: [Circa hoc autem negligent. spœnas in eisdem canonibus contentas se noverint incursuros.) Nec non Concilij Tridentini in *d. c. 2. in fine sess.* 24. ibi: (Quod si in his tam metropolitani, quàm Episcopi, &c. negligentes fuerint, pœnas sacris canonibus sanctas incur-
108 rant.) Nam etsi ver. *incurrant*, ex sui natura sit latæ sententiæ, Clem. 1. *de decim.* & ibi glos. *in ver. Incurrant*, Paul. Laur. Imol. & Cardin. *in* 27. *qu. de usur. c. ult.* & ibi glos. *in ver. Incurrat, de offic. deleg. lib. 6.* Tiraquell. in l. *Si unquam, in ver. Revertatur, nu.* 145. *C. de revoc. donat.* & ex sententia S. Congregationis dixi in c. *Sacro in* 3. *qu infra de sententia excommunicationis*; tamen secus est hoc casu, cum præcitata decreta relationem habeant ad pœnas à jure statutas: & ita S. Congreg. intellexit verba d. c. 2. ut in subjectis declarationibus.

Dubitatum fuit primò, An Episcopi negligentes in congreganda diœcesana Synodo infra sex menses post celebratum provinciale Concilium, ut in ea notificent ejusdem provincialis Concilij decreta, incurrant pœnam suspensionis duorum mensium, juxta cap. *final.* 18. *dist.*

Secundò, An ex decreto c. 2. *sess.* 24. Tridentini Concilij dici possit imponi Episcoponon celebrãti quotannis diœcesanam Synodum, pœnam suspensionis, de qua in c. *Sicut olim, de accusat.*

Tertiò, Dato quod censeatur imposita, an ipsa pœna, quæ secundum d. c. *Sicut olim*, incurritur mediante sententia, hodie ipso jure incurratur propter illa verba d. c. 2. *in fin.* ibi, pœnas sacris canonibus sancitas incurrant.

Ad primum S. Congregatio respondit Episcopum tenetur ad congregandam dictam Synodum diœcesanam juxta d. c. *final.* & DD. *ibid.* Nec Tridentinum Concilium Episcopum ab hoc onere liberavit, ideo ad tollendum omnem scrupulum ab eo, qui omisit eam Synodum celebrare, petendam absolutionem à Papa, & monendum Episcopum per litteras Congregationis, ut deinceps servet d. c. final.

Ad secundum censuit incurrere pœnam suspensionis, quia dictum c. *Sicut*, disponit æquè in diœcesana Synodo, ac in provinciali, ut per Abb. ibid. in summar. & in c. 2. *sess.* 24. Trid. Concilij colligitur apposita pœna Episcopis negligentibus convocare diœcesanam, in ultimis verbis d. c. 2. ibi, (Si metropolitani, vel Episcopi negligentes fuerint, &c.) quæ verba debent referri tam ad provincialem, quàm diœcesanam Synodum. Quam Congregationis sententiam itidem Sanctissimus approbavit, & Episcopo absolutionem concessit.

Ad tertium censuit per Concilium Tridentinum non esse alteratum, nec immutatum modum incurrendi pœnam, d. c. *Sicut olim*: quia Concilium utitur illis verbis, *Incurrat pœnas sancitas*, quæ nihil innovant.

Rursus Episcopus Comen. jam annum omiserat celebrare Synodũ diœcesanam duabus de causis. Primò quia Clerus Valtellinæ, & Clavenæ suæ diœcesis nec venerat, nec excusatores miserat formidine suorum dominorum temporalium Catholicæ Fidei oppugnatorum. Secundò, quia cum nunquam esset celebrata Synodus provincialis censuit Episcopus supersedendum donec celebraretur, ut quæ in ea statuerentur, & ederentur decreta, legi possent in Synodo diœcesana.

S. Congregatio negocium hoc ad Sanctissimum rejecit, qui nullam ex rationibus, seu excusationibus approbavit: ideo dixit, quod Episcopus quotannis celebret Synodum suam diœcesanam, ut tenetur, & qui verentur accedere: satis esse, ut mittat Procuratores ad excusandum se: reliqui verò, qui nullam causam habent quominus ad Synodũ accedant, cogantur, & fiat Synodus cum ijs, qui possunt venire, & veniunt. Pro omissione autem in præteritum facta, Sanctitas Sua absolvit Episcopum, & dispensat quatenus opus sit.

Duodecimò, & ultimò QVAERO pro complemento materiæ, quæ sit pœna Episcoporum non 111
accedentium ad Synodum provincialem.

Solutio: Variæ pœnæ à sacris canonibus statutæ reperiuntur: nam in c. *Si egrotans*, 5. *qu.* 3. à communione suspenditur: Item in c. *Si quis*, 18. *dist.* alienus erit à fratrum communione usque ad

ad sequentem synodum. Item in cap. *Si Episcopus Metropolitanus, eadem dist.* Usque ad proximam synodum à charitate fratrum, & Ecclesiæ communione privetur. Item in cap. *Si quis Episcoporum, d. dist.* 18. Usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum communione privetur. Item in cap. *Placuit ead. dist.* Ecclesiæ suæ communione retinent esse contenti: idest cum alijs Episcopis non communicent, ut ibi in glos. *ult.* Unde non erit talis Episcopus prohibitus celebrare divina officia, & sacramenta recipere, nec cum cæteris Episcopis, vel alijs communicare, sed tantùm suspensus erit à communibus negocijs cum alijs Episcopis nec poterit interesse scrutinio Episcoporum, nec eorum consecrationi, & alijs communiter pertractandis cum Metropolitano, & Episcopis: & sequitur Præpositus in d. cap. *Placuit, in fin.* Cardin. Iacobat. *de Concil. lib.* 2 *artic.* 5 *in primis. fol.* 111. Item ex Concilio Toletano XI. *cap.* 15. Unius anni communione privetur. Item ex Concilio apud Altrum, *cap.* 11. Burcard. *lib.* 1. *cap.* 12. Iuo *par.* 5 *cap.* 162. Pro prima vice graviter objurgentur; deinde interdicitur eis Missas celebrare. Item ex Concilio Meldensi, 37. Cessetab officio donec satisfaciat fratribus. Item ex VIII. synodo, *cap.* 17 Metropolitanus, qui ad synodum Patriarchæ vocatus: renglexerit, primo tempore segregetur, & durante contumacia deponatur.

112 De impedimentis autem non accedentium ad synodum provincialem vide quod scripsi in c. *Ego N an.* 9. *supra de jurejur.*

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

Cap. In ordinando.

SVMMARIVM.

1 PRo Ordinibus conferendis, *vel instrumentis super eis conficiendis Episcopus, vel Ministri, aut Notarij nihil temporale exigere debent, & num. seq.*

2 *Principale quando debet esse gratuitum, ita & omnia accessoria.*

3 *Pastellus quid sit.*

4 *Simoniã non ōmittitur in contractu gratuito.*

5 *Emptionis, & venditionis nomine in diffinitione simoniæ venit omnis cōtractus nō gratuitus.*

6 *Ordinatori non licet aliquid temporale etiã sponte oblatum accipere pro collatione ordinum.*

7 Dare *verbũ liberalitatẽ notat, nõ necessitatem.*

8 *Ordinatori an liceat aliquid ultrò oblatũ ab ordinato accipere nōpro spiritualibus. sed ex charitate sine pacto expresso, vel tacito, & n. seqq.*

9 *Et quid post Concilium Tridentinum n.* 11.

10 *Sanguinem elicit, qui multum emungit.*

12 *Consuetudo etiam immemorabilis accipiendi ab ordinatis ad primam tonsuram forfices, pectines, & mappas, præter faculas est corruptela.*

13 *Ordinator nullam oblationem ab ordinatis potest accipere præter eam, quæ à Pontificali Romano fieri consuevit.*

14 *Notarius an pro instrumentis conficiendis in collatione ordinis, vel beneficij, aut pro litteris dimissorijs, seu testimonialibus possit aliquã mercedem accipere saltem à sponte dantibus, & nu. seqq. usque in fin.*

15 *Quid si percipias salarium ex publico, & n.* 20. *&* 27.

16 *Et quid si non percipiat & n.* 22. *&* 27.

Et quid si salariũ non sit congruum, n. 21. *& n.* 29.

Et quid in Notario Episcopi, n. 18. *&* 28.

Et quid in extraneo. n. 19. *&* 23. *&* 28.

Et quid si officium Notarij sit ut necessariũ ad probationem ordinis. n. 20. *&* 28.

Et quid post Conc. Trid. n. 27.

17 *Notarij Papæ possunt meredem accipere juxta taxationem factam pro qualibet Bulla.*

24 *Notarius accipiendo aliquid sponte oblatum ab ordinatis, si nõ ea intentione ab initio ad hoc accessit, simoniam non committit.*

25 *Præsertim si consuetudo vigeat aliquid offerẽdi, quod pietatem, & devotionem præferat.*

26 *Et quid ex Concilio provinciali Mediolanensi.*

27 *Tridentini Concilij decretum* sess. 21. c. 1. *expenditur, & n. seqq.*

30 *Negativa universalis,* Nullus, *excludit omnia etiam minima.*

31 *Cancellarius quam mercedem possit accipere pro qualibet scriptura collationis, vel institutionis, & num.* 34. *&* 35.

32 *Simoniæ Episcopus nihil potest accipere in casibus hic enumeratis Notarius verò in aliquibus tantum accipere potest mercedem suo labori convenientem, si ex publico salarium non habeat, & n. seqq. usq. in fin.*

33 *Missam bis in die celebrandi an, & quando Episcopus possit licentiam concedere, & n.* 37.

36 *Pro decretis in testamentis clericorũ interpositis si quid Episc. de jure, vel consuetudine potest accipere, non debet excedere taxã consuetã.*

38 *Dispensationes ab Episcopo, & Vicario sunt gratis exequendæ non obstante immemorabili. Notarius quartam partem aurei accipere potest pro examine testium.*

39 *Examinatores pro examine, & approbatione ad parochiales nihil possunt accipere.*

40 *Consuetudo ne quis in ecclesia sepeliatur sine licentia Episcopi, servari debet: sed ut producta licentia sex scuta exigantur, tollenda est, vel ita moderanda, ut exactum pauperibus, vel ecclesiæ erogetur.*

41 *Parochi servare debent edictum Episcopi de sponsis matrimonio non conjungendis sine ipsius licentia, quæ tamen gratis dari debet, licet consuetudo donandi aliquid Episcopo in signum letitiæ non videatur penitus improbanda.*

42 *Ex consuetudine exigendi à Beneficiatis donativum in ingressu Episcopi, non licet denegare litterarum executionem, vel possessionem beneficiatis post ingressum non soluto donativo.*

43 *Annata pro beneficijs de novo instituendis ab Episcopo exegi non debet: Notario verò processum scribenti aliquid honestum solvere non videtur inconveniens.*

44 *In Capellania dignitati unita Episcopus retinet omnia jura sibi ante unionem competentia, nisi secus in litteris Apostolicis disponatur.*

45 *Ordinationes generales fieri non debent in capella privata, sed in Ecclesia Cathedrali.*

46 *Parochi, & beneficiati, qui suo muneri plenè satisfecerunt, non prohibentur alios impeditos coadjuvare; sed pro licentia saltem post Concilium nihil exigendum.*

47 *Notarij, & alij ministri Episcopi abstinere debent ab omnibus exactionibus insolitis, vel immoderatis,*

48 *Notarius si exigat pro instrumento ordinationis, seu litteris dimissorijs ultra decimam auri partem, committit simoniam, non tamen jure Divino damnatam.*

1 IN ORDINANDO. Io. Andr. non summat, quia breve est. Sed secundum Cardinalem sic summari potest. Pro conferendis ordinibus, vel instrumentis super eis conficiendis, nihil exigi debet, & idem de pallij datione. Vel aliter secundum Io. de Anan. Mar. Socinum, & Felin. Episcopus pro ordine ab eo conferendo, vel ministri, aut Notarij nihil temporale exigere debent. Hoc dicit: & est B. Gregorij in synodo Romæ habita, *cap. 88.* & refertur in cap. *Sicut Episcopum, 1. qu. 2.* Dividitur in duas partes prout sunt duo dicta; secunda ibi, *pro ordinatione.*

Nota primò ex principio tex. Fas non esse Episcopo aliquid temporale accipere pro manus impositione, scilicet ordinatoria: de hac enim loquitur hæc littera, ut patet ex parte decisa, nec non ibi, pro ordinatione, & notat glos. 1. & communiter Doctores, licèt ex identitate rationis idem sit dicendum in omni manus impositione, quæ multiplex est, ut plenè per glos. 2. Archid. & Turrecr. in c. *Manus, 1. q. 1.*

2 Secundò nota ibi, *ita nec minister.* Sicut principale debet esse gratuitum, ita & omnia accessoria, & circumferentia. Unde quemadmodum prohibetur Episcopus aliquid temporale pro collatione ordinis recipere, ita & omnes alij ejus ministri non tantùm pro ordine, sed etiam pro chartis, vel pastellis, idest parva ceræ massa in modum pastæ: & hoc ne fraus committatur, neve fiat indirectè, quod directè fieri non potest, ut *hic in glos. 3.* & notant Butr. *in 2. notab.* Abb. *num. 2.* & Mar. Socin. *in 1. not.* qui ex hoc infert ad multas quæstiones. Pro ministro autem intellige Archidiaconum, qui examinat promovendos, cap. *Ad hæc, circa finem, supra de offic. Archid.* ut exponit *hic* glos. 2. Hostien. *num. 1.* & Io. Andr. *num. 6.* & colligitur ex littera ibi, vocem; nam Ordinatore interrogante, scis eos dignos? Prior Diaconorum respondet, quantum humana fragilitas, & c ut cap. *un. supra de scrut. in ordin. facien.* Vel quia cum examinat, vocat ordinandos, ut ait glos. 1. in d. cap. *Sicut Episcopum, 1. qu. 2.* Vel pro ministro intellige Diaconum, qui Evangelium legit, secundum Innoc. *in princ.* & quod infra dicit vocem expone, idest lectionem Evangeicam, secundum Goffred. & Abb. Antiq. *in verb. Vocem:* & hoc magis consona antiquæ, secundum Io. Andr. *n. 6.* Cardin. *num. 2. vers. Quæro de intellectu textus,* & Abb. Siculum *num. 3.* Legebatur enim: In ordinando Episcopo Pontifex manum imponat, evangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem ejus epistolam Notarius scribit, ut refertur ab Ant. August. *in prima Collect. Decret. lib. 5. tit. 2. cap. 1.*

4 Tertiò nota ibi, *vocem, vel calamum vendere,* Simoniam non induci ex contractu gratuito: quia verbum, *vendere,* contractum gratuitum non comprehendit, cum venditio non procedat sine pretio, *l. 2. §. Sine pretio, ff. de contrahend. empt.* & hic notat glos. 3. Host. *num. 4.* & Butr. *num. 6.* Ceterum venditionis nomen non intelligas strictè, sed in latiori significatione: nam etsi simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum; tamen sub nomine emptionis, & venditionis comprehenditur omnis contractus non gratuitus, ut declarat Sanctus Thomas *in 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 5.*

5 Ultimò nota ibi, *aliquid dare prohibemur.* Pro collatione ordinis non modo non licere ipsi Ordinatori aliquid temporale exigere, sed nec ultiò oblatum accipere: nam verbum, *dare,* liberalitatem notat, non necessitatem; ut l. *Rem legatam, ff. de adimen. legat.* & legitur, & notatur in cap. 1. *supra de donat.* & ita ex hac littera colligunt Host. *num. 4. in ver. Dare,* & Ioan. Andr. *eod. num.* Signanter dixi pro collatione ordine, quia secus esset, si oblatio fieret non pro ipsa collatione, sed ex charitate, ut notabiliter declarat idem Host. *ubi supra,* dicens: (Si tamen non pro his spiritualibus, sed ex charitate sine pacto expresso, vel tacito aliquid etiam Ordinatori, & ab ordinato gratuitum offeratur, non reprobamus,) ut cap. *Essi quæstiones, §. 1. 2. & in fin. infra eod.* Et meritò, quia oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petione processit, vel legitur in cap. *Sicut Episcopum, 1. quæst. 2.* Ad idem cap. *Quicquid, 1. quæst. 2. ibi, Nisi voluntariè oblata:* licèt à Codice regio abiit illa dictio, *nisi,* ut est adnotatum in calce illius canonis. Facit cap. *Dilectus, il secondo, infra eod.* ibi, *illud tamen gratanter accipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum:* & per hunc intellectum, ut Hostien. subdit, & gestis damnatur simoniaca, & reprobatur interpretatio nimis rigida, & amara. quod & fieri debet, argum. l. *Si id quod, §. Si quas servi operas, ff. de donat. inter virum, & uxor. l. penult. ff. Ad exhibendum,* cap. *Intelligentia,* & cap. *Præterea, infra de ver. signif.* nam qui multum emungit, elicit sanguinem, cap. *Denique, 4. distinct.* & cum Hostien. totidem ferè verbis transeunt *hic* Ioann. Andr. *num. 4.* Butr. *num. 2. in prima oppos. & nu. 7, vers. Si est de substantia collationis,* Cardin. *in fin.* Ancharan. *num. 3.* Abb. *num. 4.* & Ioan. de Anan. *num. 9.*

Quorum sententiæ, quod spectat ad jus commune, & ipse accedo, cum duobus tamen temperamentis. Primum est, ut quod offertur, sit modicum, ut per Butr. *in loco proximè citato.* Alterum, ut non detur in ipso actu ordinationis, sed ex intervallo, ut hic per Card. *in fin.* & probatur in d. cap. *Sicut Episcopum, 1. quæst. 2.* ibi, *post acceptas chartas, & pallium.* Facit optimè textus in cap. *Emendari, 1. quæst. 1.* Opus enim per se laudabile ratione temporis reprobatur, ne malignandi occasionem inducat; ideoque licèt nummos in concham mittere opus pietatis sit, tamen tempore suscipiendi baptismi simoniæ suspicionem ingerit, ut ibi, & arg. *l. un. in fin. ff. Ad l. Iuliam de ambitu,* & notat glos. 1. *in* d. c. *Emendari.*

Porrò

11 Porrò hæc vendicant sibi locum jure communi inspecto: verum hodie opinio Host. reperitur correcta à Concilio Trident. *in c. 1. sess. 21.* Nam Sancta Synodus ad tollendam omnem suspicione, sustulit etiam sponte oblata, quæ si nihilominus acciperentur, non propterea simonia induceretur, cessante scilicet omni pactione tacita, vel expressa, sed solum incurrerentur pœnæ eo decreto inflictæ: & quamvis ex c. *Essi quæstiones, infra eod.* in sponte oblatis attendenda sint personæ dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donantis tempus: secundum verba illa Concilij, *etiam sponte oblatum quovis prætextu, & ex quacumque de causa;* tollunt omnem prætextum, & omnem causam, ut nulla possit esse accipientis excusatio, nullave tergiversatio. Adde quod etiam de jure communi contra Host. facit textus in d. cap. *Sicut Episcopum, 1. qu. 2.* quia dum permittit ordinato gratiæ tantummodo causa aliquid dare, non dicit ipsi ordinatori, sed quibuslibet de Clero; & sic quod de alijs concessit, de ordinatore videtur negasse, ad glos. in cap. *Qualis, in ver. Negatur, 25. distinct.*

12 Ab his tamen excipe id, quod datur ab ordinatis ex præscripto Pontificalis Romani. Unde Sacra Congregatio Concilij aliàs censuit consuetudinem etiam immemorabilem percipiendi ab ordinatis ad primam tonsuram forfices, pectines, & mappas, præter faculas, pariterque mappas à Presbyteris, intelligi perinde ac corruptelam revocatam, nullimque in ea functione oblationem percipi posse, præter eam, quam quis dum sacris ordinibus initiatur, Pontificali Romano permittente consuevit offerre: ex quibus infertur nec ex laudabili consuetudine, c. *Ad Apostolicam, infra eod.* aliquid accipi posse.

14 QVAERO generaliter, an Notarius pro instrumentis conficiendis in collatione ordinis, vel beneficij, aut pro litteris dimissorijs, seu testimonialibus possit aliquam mercedem accipere, saltem à sponte dantibus.

Doctores in hac quæstione, & in intellectu hujus Decretalis multum se involvunt, & in varias scinduntur opiniones, quas hic plenè inter alios recenset Io. de Anan. in glos. *penult. n. 12.*

15 Quidam enim distinxerunt an Notarius percipiat salarium ex publico, necne? Si percipiet, dicunt ei non licere aliquid accipere: & in hoc casu

16 intelligunt hoc cap. si verò salarium non percipiat, asserunt non esse illi interdictum operas suas, vel scripturam vendere, cùm nemo cogatur de proprio beneficium facere, c. *Precaria, 10. q. 2.* & in hac opinione fuit originaliter Hugo, ut notatur in c. *Sicut Episcopum,* in glos. *Calamum, 1. qu. 2.* & Bernard. *hic in glos. 3.* eamque veram esse affirmat Cardin. *nu. 1. in prima oppositione,* quam etiam sequitur Abbas *nu. 3. circa finem, vers. Et ideo simpliciter.*

17 Et propterea Alanus hic dicebat, Notarios Papæ licitè posse mercedem accipere juxta taxationem factam pro qualibet Bulla, quia non habent salarium à Papa, vel quia in Curia Romana non habet locum simonia, sicut nec lex Julia *de ambitu,* ut l. *un. ff. ad legem Iul. de ambit.* & facit quod notatur in cap. *Presbyter. 92. dist.* & in c. *ult. 1. qu. 6.* & hoc dictum Alani sequuntur *hic* Butr. *n. 3.* Cardin. *nu 1. in 2 oppos.* Anchar. *nu. 2.* Abb. *n. 5.* Io. de Anan. *in 2. not.* licèt hoc corrigendum esse dicat Host. *nu. 3. vers. Et secundum hoc,* & alij præallegati.

18 Alij verò distinxerunt inter Notarium Episcopi, cui scilicet Episcopus hoc officium commisit, & Notarium extraneum. In primo casu dicunt procedere hanc Decretalem, ita ut Notarius Episcopi teneatur gratis omnino ministerium suum impen-

19 dere. In secundo autem casu admittunt Notarium extraneum nedum petere posse justum salarium, sed etiam aliquantulum plus justo propter magnitudinem negotij: ita expresse Innoc. *hic in ver. Notarius, vers. Si autem alius,* & paulò infra vers. *Vel dic quod loquitur,* cui totidem ferè verbis subscribunt Host. *n. 3.* Io. And. *n. 7.* & idem Host. in c. *Sicut, n. 5. circa finem, supra Ne cler. vel nuon.*

20 Sed alij simul jungunt ambas distinctiones superius propositas; dicunt enim: Aut Notarius habet salarium ex publico; & tunc subdistinguunt, an officium talis Notarij sit de substantia ordinationis, & hoc primo casu non liceat aliquid recipere, cùm ejus officium sit de conferentibus ad-

21 ministrationem. Aut non est de substantia; & tunc si salarium, quod solvitur non congruit scribenti considerato labore, & negotij qualitate, licita sit receptio. Ratio, quia non debet quis cogi militare proprijs stipendijs, ut in c. *Cum ex officij. de præscript.* Sin autem salarium ut supra sit congruum, tùc receptio non sit licita, quin potius simoniaca, ita distinxit Anton. de Butr. *hic n. 7. vers. Dic ergo* si salarium recipit ex publico, & Io. de Anan. *n. 11. vers. Quandoque aliquid recipitur:* & quamvis Abb. *hic nu 3. vers. Ad primum concludo,* hanc distinctionem impugnat, teo quod nullo casu officium scriptorum possit esse necessarium ad ordinem ritè conferendum: tamen illam salvat Io. de Anan. *num. 12. col. penult. vers. Tu considera,* dicens hanc fuisse mentem Doctorum, quod ex privilegio, statuto, vel consuetudine erat inductum, ut ordinatio, vel traditio pallij, vel collatio beneficij non posset probari nisi per instrumenta, vel chartas scriptas per certos Notarios ad hoc deputatos, & hoc respectu officium talis Notarij dici poterat necessariò requiri ad ordinem legitimè conferendum, idest ad illius probationem, ne aliquin de ordinatione dubitari contingeret, ut in c. *Legum, 2. qu. 1.* & notat glos. in d. c. *Sicut Episcopum, in ver. Calamum, 1. qu. 2.* paria enim sunt non esse, vel probari non posse, *l. Dno sunt Titij, ff. de testam. tutel.* cum alijs allegatis per glos. *final.* in c. *Cum dilecti supra de accusat.*

22 Verum Laurentius in d. c. *Sicut Episcopum* in præcitata glos. *in ver. Calamum,* reprobavit suprascriptas distinctiones, censuitque Notarium non posse aliquid exigere pro hujusmodi scriptura; nec distinguendum esse an habeat salarium ex publico, necne: qui textus prohibet, ut in collatione ordinis; nec pro labore, nec charta liceat aliquid recipere. Unde Episcopus curare debebit, ut sine muneris alicujus acceptione scribatur: & hanc opinionem dicit posse defendit Cardin. *hic num. 1. in prima oppositi. vers. Ego tamen dico,* arg. hujus litteræ, quæ expresè prohibet ministros, vel Notarios aliquid capere, nec ullam adhibet

23 distinctionem. Et ad contrarium glossa, quod quis non teneatur de suo facere beneficium, & proprijs stipendijs militare, respondet Cardin. Notarium extraneum non debere se ingerere illicitè in officio, quod debet esse gratuitum. Ideoque tenentur Episcopi deputare aliquos, qui

hoc

hoc liberaliter expleant, licèt hoc non faciant, & minus benè, secundum eum.

24 In omnibus tamen suprascriptis casibus, in quibus Doctores negant licere Notario aliquid recipere, intelliguntur hoc procedere quando ex pacto, & conventione recipit. Sed si gratis, & sponte aliquid offeratur, & sine omni intentione ab initio ad hoc accesserit, simoniam non committit, cap. *Cum sit Romana, infra eod.* sive sit Notarius ordinationis, sive extraneus, & sive salarium habeat ex publico, sive non: & in hoc conveniunt glos. *his in ver. Vendere*, Innoc. *post med. vers. Si quis autem*, Abb. Antiq. *in fin.* Hostien. *num.* 3. Ioann. And. *num.* 7. *vers. Si omnino esset extraneus*: & re-

25 liqui omnes: præsertim si consuetudo vigeat aliquid offerendi, quod pietatem, & devotionem præferat, ut cap. *Ad Apostolicam, infra eodem*, secundum Innoc. *ubi supra*, Hostien. *d. num.* 3. *vers. Maximè ubi consuetudo*, & Io. Andr. *d. num.* 7. *vers. Sed etiam talibus locis.*

26 In Concilio tamen provinciali quinto Mediolanen. *in titul. de Cancellario, & Notarijs tom.* 4. *Conciliorum part.* 2. *pag.* 542. *col.* 2. Recensentur quam plura instrumenta, & scripturæ, quæ à Cancellario, & Notarijs confici, & gratis dari debent; *& pag. seq. col.* 1. expresè cautum legitur, ut qui aliquid etiam à sponte dantibus perceperit, tum in conscientiæ foro ne suum faciat, sed pauperibus loci erogare omnino debeat; tum quadrupio mulctetur, quod vel in Ecclesiæ instaurationem, vel in Sacristiæ usum erogetur.

27 In hac varietate supervenit jus novissimum Concilij Trid. in d. *cap.* 1. *sess.* 21. quo disertis verbis statuitur, ut Notarij in ijs tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissorijs, aut testimonialibus decimam tantùm unius auri partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directè, vel indirectè provenire possit; tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles, ut corruptelas cassando, & interdicendo.

Quo decreto S. Synodus inter opiniones suprascriptas non obscurè probavit primam distinctionem Hugonis, & Bernardi, de qua supra *num.* 15. videlicet, ut Notarius non habens salarium ex publico possit mercedem accipere pro instrumento, seu litteris testimonialibus collationis ordinis; secus si habeat salarium: & consequenter Concilium rejecit opinionem Laurentij, de qua supra *num.* 22. Qui indistinctè negavit Notarium aliquid accipere posse etiam si nullum ei salarium sit constitutum: nam hoc casu ex Concilio licet mercedem accipere. Quatenus tamen Hugo, & Bernardus permiserunt Notario publicum salarium non habenti instrumentum collationis vendere, & sine limitatione pretium exigere, Concilium hoc non admisit, sed mercedem taxavit, & reduxit ad decimam unius auri partem, vulgò julium unum pro singulis litteris dimissorijs, vel testimonialibus.

28 Rursus Concilium non approbavit distinctionē Innocentij, & sequacium inter Notarium Episcopi, seu ordinationis, & Notarium extraneum; sed si Notarius non percipiat salarium ex publico, & non obstet contraria consuetudo, permittit eum accipere decimam partem unius auri, nec distinguit an sit Notarius extraneus, vel ad hoc officium deputatus: & in Cancellario Episcopi sæpius hoc declaravit S. Congregatio Concilij, ut dicam infra

29 *num.* 31. & 35. Et eodem modo non videtur Concilium admisisse aliam distinctionem Antonij de Butr. de qua supra num. 20. videlicet an salarium Notarij sit congruum, nec ne; sed ita demum voluit licere Notario mercedem accipere si salarium

30 nullum ei sit constitutum. Et pondera universalem negativam, nullum, quæ excludit salarium quantumcumque minimum, glos. in cap. *Statutum*, §. *Insuper, in ver. Nullum, de rescript. lib.* 6. glos. in cap. *Nemo potest, il primo, in ver. Obligari, de reg. jur eod. lib.* Gemin. *cons.* 35. *nu.* 5 Cravett. *cons.* 294. *num.* 6. Unde sibi imputet Notarius, qui modicum salarium acceptavit; per hoc enim se tacitè adstrinxit ad operas suas pro illo modico impendendas, exemplo ejus, qui beneficium acceptavit; nam tenetur illi inservire quantumcumque sit tenue, ut leg. & not. in cap. *Conquerente, supra de Cler. non resid.*

31 Porrò quemadmodum hæc Decretalis, licèt in specie loquatur in ordine, tamen à quibusdam generaliter intelligitur etiam in beneficio, ut hic refert Innoc. *in princ. in ver. Notarius*, *eodem modo* licèt Concilium in d. *cap.* 1. *sess.* 21. loquatur specificè in collatione ordinum: tamen S. Congregatio id ipsum declaravit in collatione beneficij, licèt ratione majoris laboris mercedem pinguiorem arbitrata fuerit. Sæpius enim censuit, Cancellarium posse pro qualibet scriptura collationis, vel institutionis accipere mercedem suo labori convenientem, quæ tamen scriptura, sigillo, & cæteris omnibus computatis, unum aurum non excedat, & dummodo ipsi Cancellario salarium nullum pro officio suo exercendo præstitutum sit, & ex pecunia, quam accipit, nihil prorsus emolumenti collatores, aut institutores etiam occasione sigilli ullo modo directè, vel indirectè percipiant.

32 In alijs autem pluribus casibus sicut Episcopi, ita & eorum Cancellarij tenentur operam suam gratis præstare, ut patet ex infrascriptis resolutionibus S. Congregationis Concilij in causa Vicensi, & S. Congregationis Episcoporum in causa Gerunden tenoris infrascripti, videlicet,

Capitulum Vicense obtulit Sac. Congregationi Concilii supplicem libellum, quo conquerebatur tam Episcopum Vicensem, quàm ejus Notarios, & scribas pro diversis scripturis negociorum ad ejus jurisdictionem pertinentium non modicam pecuniarum quantitatem exigere, petebatque mandari Episcopo, ut ab ejusmodi exactionibus abstineret atque Notarios, & scribas coerceret, ne plus debita mercede reciperent.

Scripturæ autem negociorum, atque actuum prædictorum à Capitulo sigillatim expressæ, hæ fuerunt.

Collationum, institutionum, seu provisionum per obitum, vel refignationem etiam ex causa permutationis, vel aliàs.

Dimissoriarum, seu testimonialium, quæ conceduntur Presbyteris, seu Clericis ad alienas diœcesis transitutis.

Licentiarum recipiendi ordines ab alijs Episcopis.

Licen-

Licentiarum bis in die celebrandi.

Licentiarum dicendi Missas.

Licentiarum dicendi Missas matutino tempore, quas matutinales vocant diebus Dominicis, & festivis.

Licentiarum audiendi confessiones.

Licentiarum administrandi Sacramenta.

Licentiarum deserviendi beneficijs Curatis.

Licentiarum deserviendi beneficijs simplicibus.

Licentiarum ordinandi se ad titulum patrimonij, seu approbationem hujusmodi titulorum.

Licentiarum absentandi se ab Ecclesijs, & beneficijs.

Licentiarum quæstuandi.

Licentiarum sepeliendi cadavera intus Ecclesiam.

Mandatorum de publicando in Ecclesia initiandos sacris, vel minoribus ordinibus, vel tonsure clericali.

Dispensationum ad duo beneficia etiam similia sub eodem tecto.

Approbationum concurrentium ad vacantes parochiales in mensibus reservatis, quæ ad Curiam Romanam transmittuntur.

Approbationum Juris patronatus ex fundatione, vel dotatione.

Creationum Notariorum in parochialibus, & commissionum regiminis scribatiarum earumdem vacan.

Deputationum Oeconomorum dum beneficia vacant.

Executionum litterarum Apostolicarum gratiam, seu justitiam concernentium.

Die septima Februarij 1602. Proposito in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum hoc supplici libello, Patres primum mirati sunt aliqua ex suprapositis capitulis aliquo modo etiam absque ulla mercede concedi, nempe licentiam tum bis in die, tum etiam matutino tempore Missas celebrandi; & proinde mandarunt Episcopo significari, num hæc ipse concedat, quemadmodum proponitur.

Deinde quod ad pecuniæ, seu mercedis exactionem, ac solutionem pertinet, responderunt, Episcopo quidem in nullo ex supradictorum capitum licere quicquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè. Notario, vel Cancellario nihil etiam licere accipere in plurimis ex ijsdem capitibus, nempe propter approbationem ad audiēdas confessiones; propter licentiam administrandi sacramenta; ob licentiam deserviendi beneficijs, ob licentiam sepeliendi defunctorum corpora in Ecclesia; ob licentiam, ut quis possit abesse à beneficijs; ob mandata publicandi in Ecclesia eos, qui primam tonsuram, vel minores, sacrosque ordines suscipere voluerint; adeò ut in nullo supradictorum casuum neque ratione scripturæ, nec sigilli, nec laboris, nec alio titulo aliquid à quopiam percipi queat, sed gratis hæc omnia his, quorū interest, debeant præstari. Verum quoad alia capita ita demum Notarium, vel Cancellarium posse aliquid percipere, si nullum sibi salarium, vel stipendium sit constitutum, cumque congruam tantum sui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel institutionis Curatarum Ecclesiarum, vel deputationem Vicariorum in illis unum aureum; & quoad litteras dimissorias, aut testimoniales, decimam unius auri partem nunquam excedat.

Et cum pro parte Episcopi ad impediendam hujus decreti executionem habitus esset recursus ad Commissarium Cameræ, eo quod Cameræ interesset, quæ tempore sedium Episcopalium in Hispania vacantium emolumenta supradicta percipere consueverat: Commissarius inhibitionem concessit: ac propterea Capitulo petente inhibitionis moderationem, Sanctissimus D. N. mandavit, ut de hac re in Congregatione utraque parte audita, iterum ageretur.

33 In Congregatione præterita cum Procurator Capituli Vicen. esset conquestus, quod Episcopus pecuniam exigeret pro licentia bis in die celebrandi: S. Congregatio mandavit significari Episcopo, ut ne dum aliquid propterea non exigeret, sed nec ullam licentiam bis in die celebrandi ullo modo concederet.

Nunc idem Procurator petit hujusmodi decreti moderationem. allegat cap. Consulvisti, de celebrat. Missar.

S. Congregatio die 18. Februarij 1602. censuit hoc cap. Demendum ex decreto, & ex litteris, quæ dabuntur ad Episcopum, & relinquendum in dispositione juris communis.

Exemplum litterarum ad Episcopum Vicen. proposito, atque per lecto in S. Congregatione Cardinalium Concilij Trid. Interpretum supplici libello his litteris adjuncto, quem procurator Capituli istius Cathedralis exhibuit, Illustrissimi Patres eis singulis degustatis, atque perpensis, responderunt, Episcopo quidem in nullo supradictum capitum licere quicquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè. Notario autem, vel Cancellario nihil etiam licere accipere in plurimis ex eisdem capitibus; nempe propter approbationem ad audiendas confessiones; propter licentiam administrandi sacramenta ob licentiam deserviendi beneficijs; ob licentiam sepeliendi defunctorum corpora in Ecclesia; ob licentiam ut quis possit abesse à beneficijs; ob licentiam celebrandi Missas; ob licentiam colligendi eleemosynas; ob mandata publicandi in Ecclesia eos, qui primam tonsuram, vel minores, sacrosque ordines suscipere voluerint; adeo ut in nullo supradictorum casuum, neque ratione scripturæ, nec sigilli, nec alio titulo aliquid à quopiam percipi queat, sed gratis hæc omnia his, quorum interest, debeat præstari.

34 Verum quoad ad alia capita ita demum posse Notarium, vel Cancellarium aliquid percipere, si nullum sibi salarium, vel stipendium fuerit constitutum; tuncque congruam tantum sui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel institutionis Curatarum Ecclesiarum, vel deputationem Vicariorum in illis unum aureum; & quoad litteras dimissorias, aut testimoniales, decimam unius auri partem nunquam excedat. Tenet amplitudo Tua non obscurè in singulis hisce capitibus Congregationis sententiam, cui conformius adhærebit, quò magis decet Prælatos à pecuniæ studio esse abhorrentes. Deus Amplitud. Tuam incolumem servet.

Romæ die 8. Martij 1602.

Dure-

Decreta S. Congregationis Episcoporum Die 25. Octobris 1588.

RElatis, & latè discussis in S. Congregatione Illustrissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium super negotijs, & consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum, ac visitationibus Apostolicis deputatorum junctis capitibus S. D. N. nomine Canonicorum, & Capituli Gerunden. Ecclesiæ per memoriale Sanctitati suæ porrectum exhibitis una cum responsionibus nomine Reverendissimi D. Episcopi desuper factis, partium Procuratoribus etiam in contradictorio sæpius auditis: eadem S. Congregatio, cui negotium fuit remissum à Sanctitate sua super unoquoque respondendum fore censuit prout infra.

35 Ad primum, & secundum quatenus asserit R. D. Episcopum à provisis in forma dignum à Sede Apostolica exigere pro collatione in vim Apostolici mandati facienda julios duos pro quolibet decreto valoris beneficij, & pro collationibus, quæ ipse facit jure ordinario, pro qualibet provisione aliquando sex, aliquando septem scuta; & à provisis ab inferioribus etiam exempris, quorum collationes ab ejus Vicario vult approbari, & ratificari, sub solutione præfata. S. Congregatio inhærendo responsioni jam factæ per Illustrissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales pro interpretatione, & executione S. Concilij Tridentini deputatos, dicit pro collatione, aut institutione Ecclesiarum Curatarum Cancellario posse in singulis accipere mercedem suo labori convenientem, quæ tamen scriptura, sigillo, & cæteris omnibus computatis unum aurum non excedat; & dummodo ipsi Cancellario salarium nullum pro officio suo exercendo constitutum sit, & ex pecunia, quam accipit, nihil prorsus emolumenti collatores aut institutores ullo modo directè, vel indirectè percipiant: & idem servandum in omnibus alijs etiam simplicibus beneficijs quibuscumque.

36 Ad tertium super juribus competentibus dicto Episcopo ex consuetudine pro decretis per eum in testamentis clericorum interpositis, illorumque ut ajunt, insolita exactione: dicitur, quod si aliquid de jure, vel præscripta consuetudine exigi debeat propter decreta in testamentis interponi solita ab Episcopo, non excedatur taxa, seu summa antiquitus consueta, quæ semel solvatur etiam si plura legata pia in eodem scripta sint testamento, & de illa ab Episcopo, non autem ab hæredibus, vel ab alio merces Notarij detur.

37 Ad quartum super licentijs bis celebrandi, ac pecunijs, quæ pro illarum expeditione, ut asseritur, solvuntur, miratur S. Congregatio agi de his licentijs concedendis: nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet, & magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsint impedimenta adversariorum Fidei, vel quid simile, quæ cessant eo in loco, ubi vix evenire possint alii casus à jure permissi; nec concedi potest hæc licentia ab Episcopo generaliter quasi privilegium alicujus sacerdotis, sed tantùm in aliquo casu particulari necessitatis causa ab Episcopo examinanda; & si quando concedi' contingat, gratis prorsus etiam quoad mercedem Notarij concedatur.

Ad quintum, & sextum super pecunijs, quæ ab Episcopo, ut fertur, exiguntur pro litteris dimissorijs, & testimonialibus, aut commendatitijs, nec non publicationis, ut ipsi vocant, quæ promovendis, ad sacros ordines concedi solent: dicitur ad unguem servari debere decretum S. Concilij Tridentini *cap. 1. de reformat. sess. 21.*

Ad septimum super solutionibus, quas fieri exponitur, pro licentijs exercendi curam animarum, confessiones audiendi, coadjutorijs, earumque revocatione: dicitur gratis omnino licentias concedendas, ex decreto ejusdem S. Concilij *cap. 15. de reform. sess. 23.*

38 Ad octavum super exactione, quæ fieri præsupponitur unius argenteì pro dispensationibus matrimonialibus exequendis, litterarum Apostolicarum clausulis non obstantibus: inhærendo respōso desuper facto per supradictos Illustrissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales Concilij prædicti interpretes, dicitur pro dispensationibus matrimonialibus non licere Episcopo, vel ejus Vicario quidquam accipere, vel ratione taxæ, etiam ex immemorabili consuetudine, nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei: quapropter decretum illud, quod poni solet in litteris dispensationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut premij etiam sponte oblati accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum est, ut neque Ordinarius ipse, neque Vicarius ejus quidquam prorsus etiam pro mercede laboris, quam ex ea re susceperint, capere possint: Notarios verò pro examine testium quartam partem auri, seu ducati, licitè accipere posse.

39 Ad nonum super exactione, quam fieri asserunt juliorum quatuor ab examinatis, & approbatis ad Parochiales obtinendas examinatori solvendorum: dicitur abolendam fore, gratisque examen, & approbationem esse faciendam, juxta decretum S. Concilij prædicti *c. 18. de reform. sess. 24.* sub pœnis in eo contentis.

Ad decimum super exactione scutorum sex, quam facere dicunt Episcopum à Presbyteris volentibus sepeliri in ambitu Ecclesiæ contra formā decretorum synodalium, & provincialium: dicitur servandam fore consuetudinem si qua est Ecclesiæ Gerund. ejusque provinciæ, non permittendo quemquam sepeliri intra Ecclesiam absque Episcopi licentia: sed quod pro ea solvantur scuta sex, non benè sonat, & potius ad avaritiam, quam ad reprimendas importunorum preces, videtur inductum; ideo vel tollendam, vel moderandam, ut aliquid honestum solvatur pauperibus erogandum, vel saltem in Ecclesiæ ejusdem manifestam, & apparentem utilitatem convertendum.

40 Ad undecimū super edicto, quo Parochis prohibetur, ne sponsos matrimonio conjungant, etiam solemnitatibus à Tridentino Concilio requisitis, expletis, nisi habeant in scriptis licentiam; quæ tamen non datur absque solutione, ut asseritur, dimidij unius julii. Dicitur quod si ex aliqua rationabili causa prohibetur, ne Parochi solemnitatibus à d. Concilio ordinatis, matrimonio aliquos conjungere possint, nisi habita prius licentia ab Episcopo; hoc jure ipsi Episcopo lex aliqua præscribenda non est, sed servatis omnino, quæ ex eod. Concilio substantialia sunt, quoad solemnitates dumtaxat, suæ tantum conscientiæ, & regimini relinquendum. Similitet etiamsi quomodoliberet in aliquo Castro, seu Oppido id prohibere convenit, quod tamen nonnisi ex aliqua urgenti causa faciendum videtur: sicut enim Episcopus 47 summopere debet animadvertere ne matrimonia sine solemnitatibus prædictis fiant; ita etiam cavere ne difficiliores reddantur matrimoniorum contractus novas sine magna causa addendo necessitates: si tamen aliqua licentia opus erit, nihil omnino etiam à Notario pro ea exigatur, sed si ex antiqua forsan præscripta consuetudine aliquid Episcopo, quasi in signum lætitiæ donari gratis soleat, non videtur penitus improbandum.

42 Ad duodecimum super eo, quod Episcopus ampliat, ut asseritur, consuetudinem exigendi donativum sibi factum in eius ingressu, ut exigatur etiā ab obtinentibus beneficium post ingressum, denegando etiam litterarum executionem, & beneficiorum possessionem, donativo prius non soluto: dicitur id reprobatum esse ex decreto S. Concilii Tridentini *c. 14. sess. 24.* & propterea abstinendum, prout abstineri per procuratorem Episcopi responsum fuit.

43 Ad decimumtertium super annata, quam prætendit Episcopus, ut fertur, pro beneficiis de novo erigendis, seu instituendis: dicitur benè à procuratore Episcopi responsum fuisse negando huiusmodi annatam exigi; & propterea ut ita sit, decernendum fore, ut nihil exigatur, nisi ubicumque necessariò aliquis processus fiet; tunc enim Notario scribenti pro suo labore aliquid honestum esse solvendum, non videtur inconveniens.

44 Ad decimum quartum super eo, quod Episcopus, si capellania uniatur dignitati, quæ aliàs in nihil contribuere tenetur, vult ratione capellaniæ ab obtinente dignitatem exigere jus visitationis, & donativum. Respondetur omnia jura, quæ Episcopo competebant in capellania ante unionem, remanere Episcopo, nisi contrarium in ipsa unione Apostolica auctoritate fuerit expressè dispositum.

Ad decimumquintum super eo quod Episcopus utatur nimis frequenter censuris, ut objicitur, in causis civilibus, & parvi momenti: dicitur, Episcopum non debere inferre censuras, nisi servata forma d. S. Concilii *c. 3. de reform. sess. 25.*

Ad decimumsextum de persona Vicarii, & Officialis generalis, confidit S. Congregatio Episcopum talem Vicarium, seu Officialem generalem constituere, qualem insignem illam decet Ecclesiam

45 Ad decimumseptimum super eo, quod Episcopus ordines generales confertut plurimum in capella Ecclesiæ remota, & obscura, & quandoq; in alia eius palatii nulla præcedente intimatione, nec vocatis Canonicis: dicitur ab Episcopo servandum fore in omnibus decretum S. Conc. præd. *c. 8. de refor. sess. 23.*

46 Ad decimumoctavum super eo, quod Episcopus non permittit, ut exponitur, Parochos, & Beneficiatos facere servitium alterius Beneficiati in eadem Ecclesia, vel alia etiam provisi non residentis, nisi habita licentia, & pro ea julijs octo, & denariis quatuor persolutis dicitur quod ubicumque Parochus suæ parochiæ curæ animarum sibi commissarum, & Beneficiatus muneri suo plenè satisfecerit, si quod tempus superest, ut quandocumque alterum fortè impeditum adjuvet, non videtur prohibendum: quod autem pro licentia aliqua taxa solvatur, saltem post Concil. Trident nullo modo probatur.

Optaret tandem S. Congregatio, ut Episcopis pro sua pietate, & populi sibi commissi ædificatione non solùm ipse, quod speratur, sed etiam agat ut alii officiales, & ministri, & notarii abstineant ab omnibus exactionibus vel insolitis, vel immoderatis, ita ut appareat nihil ex cupiditate, sed omnia ab eo honestè, & moderatè fieri ad Dei gloriam, & salutem animarum. Actum in S. Congregatione die, & anno superius annotatis.

48 Porrò in omnibus suprascriptis casibus, in quibus Notario aliquid accipere non licet, si de facto accipiat, est simoniacum, quia prohibitum: non prohibitum, quia simoniacum, secundum Petr. Hispan Lau. & Goffred. quos hic refert. Io Andr. *n. 6. in fin.* licet Vincent. contra: & ita intelligo infra, scriptam resolutionem S. Congregationis Concilii videlicet.

An Notariis pro litteris dimissorialibus plusquam decimam unius auri partem accipientes contra id, quod statuitur decreto Concilii Trid. *c. 1. sess. 21.* simoniam committere censeatur: S. Congregatio censuit committere simoniam: alioquin si hoc esset naturaliter, & intrinsecè malum non potuisset Ecclesia statuere, ut liceret Notario decimam auri partem accipere, ut notatur in c. *Ex parte, il primo in glos. dimittere, de offic. delegat.*

Et de supradicta distinctione vide quod latissimè scripsi in cap. *Cum pridem, à n. 2. usque ad nu. 30. supra de pactis*; ubi etiam habes articulum, quem hic prosequitur Abb. *n. 6* videlicet, an Papa possit involvi crimine simoniæ, *in 3. quæst. à n. 53. usque ad n. 141.*

De Simonia.

Cap. Accusatum.

SVMMARIVM.

1 *ACcusatus de simonia, de quâ prius erat infamatus, est ipso iure suspensus tam quoad se, quàm quoad alios.*

Et quid post Constitutionem Martini V. Ad evitanda. n. 9.

2 *Simoniacus in ordine habet characterem vitiosum.*

3 *Accusatus de simonia non præcedente infamia est suspectus quoad se, sed non quoad alios.*

4 *Simoniacus pendente accusatione ab administratione Divinorum prohibetur.*

5 *Prohibitio Divinorum est suspensio.*

6 *Accusatus de simonia interim suspenditur à celebratione missæ.*

7 *Suspectus, & excommunicatus à iure potest suspendi, & excommunicari ab homine.*

8 *Simonia est morbus cancrosus, in quo opus est ferro ignito.*

9 *Accusatus, & infamatus de simonia hodie non est suspectus quoad alios, nisi sit publicè denunciatus per sententiam.*

10 *Inquisitio, vel accusatio, denunciatio, & exceptio an impediant promotionem, vel electionem.*